UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Danielis Chamieri Delphinatis Panstratiæ Catholicæ, sive Controversiarvm De Religione Adversvs Pontificios Corpvs.

Tomis quatuor distributum. : cum indicibvs necessariis.

De Homine Corrvpto et Instavrato

Chamier, Daniel

[Frankfurt], 1627

Liber decimusquartus, De operibus

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-885

Visual Library

LIBER DECIMVS QVARTVS,

De

OPERIBVS.

Caput Primum.

DE MERITO, PAPISTARVM SENTENTIA.

DETINVIT nos Fides: nunc opera bona. Hoc autem nomine venit quicquid ad mores pertinet Christianos, actusque Sanctificationis, siue iustitiæ inhærentis, qua in admittendo, qua in omittendo: breuiter, quicquid opponitur peccato, conforme existens officio viri fidelis adulti, pollentisque iam liberi arbitrij vtu. Disputationis erunt partes: De Merito Operum prima: De Necessitate, altera.

II. De Merito disputant, Hosius Confessi.cap. 68. Petrus Auratus, Parad. 46. Latomus, libr. de Fide & Operibus: & aduersus Tindallum, libris tribus Ioannes Antonius Delphinus, extremo libro de Iustificatione. Lindanus Panopliæ libr. 3. cap. 20. & sequ. Ioannes à Dauentria, refutatione articuli 6. Confessionis Augustanæ. Viruesius. Philipp. 4. & seqq. Tapperus ad articul. 11. Arboreus, Theosophiæ libr. 3. cap. 15. Alphonsus de Castro aduersus hæreses, de Fiducia, de Merito, & de Operibus, hæresi 4. Sanderus, de Iustificatione lib. 6. cap. 6. Dominicus à Soto, de Natura & Gratia libri 3. cap. 7 & seqq. Franciscus Romæus, de Libertate & necessitate Operum, Veritate 22. Bellarminus, de Iustificatione libr. 5. Costerus, Enchiridij cap. 7. Salmero, ad Galatas disput. 15. & tribus deinceps. Pererius, ad Roman. disput. 5 in cap. 2. & 6. disputat. quinque postr. Greg. de Valentia, commentariorum in Thomam, tom. 2. disput. 8. quæst. 6. & libri de Diuina gratia cap. vltim. Antonius Porsanus, contra Saluæum. Ioannes Bunderius à Gandauo, in compendio concertationis titul. 6. Becanus, tom. 1. opuscul. 6. cap. 3. & opusc. 7. Vasques in 1. 2. disput. 213. Bailius, Catechismi part. 4. quæstione 17. Abras de Raconis, in responso ad quatuor Ministros.

III. Disputarunt & isti. Caluinus, Institutionis libr. 3. cap. 15. Chemnitius, Examinis part. 1. de Bonis operibus qu. 5. Wolfgangus Musculus in locis communibus, de Meritis erga Deum. Beza, responso ad duos Apostatas, cap 2. Amandus Polanus, Syntagmatis Theologici lib. 8. c. 10. Dauid Paræus contra Bellarminum, de Iustificatione. Riuetus, Summæ controuersiarum, tract 4. q. 17.

IV. Meritum Papistæ definiunt actionem liberam, cui merces debeatur ex iustitia. Ita enim Costerus. Dici autem in vtramque partem, tum bonam, tum malam: Mereri enim alium pœnas, alium præmia. Et meritum quidem pœnarum volebant Scholastici proprio nomine Demeritum dicere, sed ex mera ignoratione Latinitatis ridiculi. Porro hac disputatione tota, non nisi in bonum sumi. Vude Gregorio de Valentia strictior definitio: Opus liberum, bonum, ad alterum aliqua ratione spectans, quod proinde, secundum modum aliquem æqualitatis, siue iustitiæ, aliquo munere ab altero compensari debeat.

V. Huiusmodi meritum in bonam partem nominatum distinxerunt in Congruum, & Condignum. Nam, qui subtiliores in Interpretatiuum, congruum, dignum, condignum, vix exaudiuntur. Et Delphinus Interpretatiuũ, quo nomine continebantur opera alioquin bona, sed facta ex intentione nõ bona, vt si quis eleemosynam largiatur murmurando; negat esse proprie meritum. Dignum autem sub condigno contineri. Imo Bellarminus hanc digni & Condigni distinctionem, nimis esse leuem pronunciat: & Alphonsus de Castro ex ignoratione Latinitatis. Itaq; tandem residua sunt Congruum & Condignum: quorum haberi possit ratio.

VI. Congruum ergo definiunt, apud Soto de natura & Gratia lib. 2 c. 4. opus cui de iustitia non debeatur merces, sed tantum ex congruitate quadam. Apud Altenstaig ex Gabriele: Actum libere elicitum, acceptatum ad aliquid retribuendum, non ex debito iustitiæ, sed ex sola acceptantis liberalitate. Apud Dauentriam: Quod non tam meretur suo opere, quam quod de sola largitoris liberalitate petenti obuenit. Itaq; Altenstaig negat in eo exigi æqualitatem dignitatis, siue in operante, siue in opere, siue in retribuente. Quod si est, tum necessario reuocanda definitio meriti illa generalis apud Costerum, quæ debitum ex iustitia definiebat, aut certe negandum vllum esse meritum de congruo, quod maluit Dominicus à Soto.

VII. Iam meritum de Condigno, quod secum adfert rationem debiti & iustitiæ, apud Dominicum. Apud Altenstaig, pro quo exigitur præmium ex debito. Item, quod ita accipiunt benemeriti (verba sunt Ioannis à Dauentria) vt negare, iniustitiæ sit. Rursus apud Altenstaig. Actus est à voluntate elicitus, vel libere procedens ad præmium alicui secundum debitum iustitiæ retribuendum. Adde ex Caietano in 1. 2. q. 114. art. 3. *Mereri ex condigno est mereri sic, vt secundum iustitiam sibi debeatur, ita quod iniustum esset non reddi mercedem merito ex condigno.*

VIII. Breuiter Romæus merita hæc ita comparat, *Nempe, si doctioribus creditur, illud dicitur esse meritum de condigno, cui merces reddenda est secundum iustitiæ debitum: ita sane, vt inter meritum & mercedem attendatur æqualitas quantitatis, quemadmodum in commutatiua iustitia, puta tantum: quantum. De congruo autem dicitur quis mereri, cum scilicet inter meritum & præmium, non paritas quantitatis, sed proportionis attenditur.* Et illustrationis gratia, hypotyposin subiicit operarij diuino denario conducti. Huic enim deberi non nisi denarium, nempe ex condigno: Strenue tamen laboranti, nonnihil superaddi ex liberalitate domini esse congruum.

IX. Iam vt exactissimi rerum æstimatores esse voluerunt, æqualitatis etiam rationem non omiserunt scrutari. Altenstaig, hanc æqualitatem attendi, vel ex natura & conditione extrinseca actus & præmij: vel ex ordinatione, pacto, aut conuentione, aut promissione præmiantis. Et omnes docent non esse meritum quodcunque opus: sed duntaxat bonum: ac ne quidem quodcunque bonum, sed acceptatum, id est, gratum ei à quo præmium exspectatur: & deniq; non cuiusvis præmij, sed eius cui reddendo teneatur is à quo præstandum sit.

X. His ita in genere constitutis, tum vero bona opera definiunt omnes Papistę esse merita. Eorum autem mercedem, tũ gratiam primam, tum iustitiæ incrementum, tum vitam sempiternam: & in hac etiam augmentũ gloriæ, cui aureolæ nomen indiderunt, ridicule captata occasione, ex Exodi 25. *Et ipsi labio coronam interrasilem, altum quatuor digitis: & super illam, alteram coronam aureolam.* Qua de re vide Supplementum Thomæ, q 96.

XI. Sed quomodo merita? Bellarminus obseruat Thomam Valdensem, & Paulum Burgensem, noluisse dici merita: siue ex congruo, siue ex condigno. Sed hos, credo, nemo est sequutus.

XII. Separant ergo opera, in ea quæ fiunt ante gratiam, & quæ post gratiam. Illa negant omnes, quod quidem sciam, esse merita ex condigno. Ex congruo-ne igitur: Scindunt sese. Nam Soto negat, *Sub hoc ætatis*, inquit, *male audit hoc meritum congrui, ex puris naturalibus.* Et disputat c. 4. li. 2. de Natura & Gratia. Latomus etiam, libro de Fide & Operibus, non tantum primam salutem negat cadere sub meritum operum: sed etiam opera præcedentia fidem & iustificationem, quicquam mereri, nisi pœnam. *Sunt enim*, inquit, *mala, aut imperfecte bona. Quæ mala sunt, merentur supplicium: quæ autem vtcunq; bona, quia non perfecte bona sunt, nullum merentur præmium.* Cui sententiæ videtur affinis Gropperus autor Enchiridij Coloniensis, *Vix hic cernere est vllam ex nobis meriti causam, nisi meriti vocabulo per catachresin propemodum abutamur, vt dicamus hominem credentem mereri iustificationem, non quidem ex obligatione, seu ex operib. quæ fecimus nos: cum ante iustificationem ad peccandum solum ex nobis valeamus, sed tantum ex condecentia, quod meritum congrui appellant.* Nescio an & Andradius Orthodox. explicat. li. 6. *Vel ipsum*, inquit, *congrui nomen indicat, non vere ac proprie meritum esse, cui quicquam iure debeatur, sed quod Dei misericordia magis, quam iustitia innititur.* Sed certe Greg. de Valentia in libro de Diuina gratia. *Nec probamus*, inquit, *sententiam eorum, qui tametsi non ex condigno, ex congruitate tamen dicunt nos gratiam primam promereri, per actus illos, quibus nos vltimo ad illã disponimus.* Hosius Confessionis c. 37. *Neque tamen defuerunt viri docti, qui meritum hoc, quod congrui vocatur, prorsus reijciendum esse putarent, ne quid habere cum Pelagianis commune videremur.*

XIII. Verum, reliqui aut omnes, aut ferme omnes in oppositam partem eunt. Dauentria peccatorem nobis effingit nullius frugi: qui tamen cœperit malitiæ suæ enormitatem secum in animo suo volutare, & detestari: indeque gemere, lachrymari, tundere pectus, orare, inedia se afflictare, pauperibus succurrere, & omnem operam nauare, vt in gratiam tandem postliminio recipiatur. Istiusmodi, inquit, quis neget de congruo mereri iustificationem? Nihilominus opera eius, qualiacunque tandem sint, non merentur, vt eorum intuitu Deus obligetur ei gratiam dare, vt iustam operum mercedem, sed pro effluentissima sua largitate gratiam ei impartit, & peccatorum remissionem. Bellarminus etiam, lib. 1. de iustificat. c. 21. negat videre, cur hoc meritum non admittatur: quod tamen paulo ante notauit à Concilio Tridentino neque assertum, neque negatum.

XIV. Pronuntiat tamen idem Bellarminus in hoc suorum dissidio, quæstionem videri de solo meriti nomine: in quo rursus contradicente m habet Soto, qui diserte, *Neque solum de nomine, sed de re quoque subesse quæstionem intelligo.* Et vero Latomi dilemma, paulo ante relatum, non nomen suggillat, sed rem recta impetit.

XV. Quæ opera fiunt post acceptam gratiam, & à iustificato, hæc vero merita condigna omnes esse volunt. Sed rursus non eodem modo omnes. Durandus in 2. Sententiarum dist nct. 27. quæst. 2. Meritum de condigno geminum describit: vnum large sumptum, pro quadam dignitate, quam Deus ex ordinatione requirit in operibus nostris, ad hoc, vt remunerentur vita æterna. Hanc esse in nobis per gratiam & charitatem habitualem. Aliud stricte & proprie, esse actionem voluntariam, propter quam alicui debetur merces ex iustitia, sic, quod si non reddatur, ille, ad quem pertinet reddere, iniuste facit, & est simpliciter & proprie iniustus. Huiusmodi meritum inueniri inter homines, sed non esse hominis ad Deum. Negat igitur Durandus opera bona iustorum esse merita de condigno, nisi priori illo modo: id est, Bellarmino exponente, vt eis non ex iustitia debeatur merces, sed ex sola liberalitate.

XVI. Itaque à Durando reliqui dissentiunt, & tenent, iusto Dei iudicio deberi meritis operum bonorum mercedem vitæ æternæ. Sic non tantum

tantum Dominicus à Soto probare instituit, iustorum opera esse digna merita vitæ æternæ: & Costerus pronuntiat, hominem iustum non solum vitam æternam mereri operibus bonis, sed ampliorem etiam gratiam Dei, atque iustitiam in hac vita: Sed etiam Tapperus longe durius, & ne quid superesset ambigui, *Opera quæ mouente Spiritu in Christo viuificante, ex fide & charitate Dei & proximi procedunt, ex Scripturis, certum haberi debet Deo grata esse, adeo vt eis rependat vitam æternam, non quasi gratiam vel liberalitatem, sed tanquam iustam mercedem, & vt iustus iudex secundum veram iustitiam.*

XVII. Quod, vt constet apertius, arcessitur apud Bellarminum condignitas, vel ex ratione pacti tantum, vel ratione operis tantum, vel ratione vtriusque. Ex pacto tantum, vt si operatio merces diurna promittatur, non denarius, sed centum nummi. Videlicet, quando opus longe est inferius mercede. Ex ratione operis tantum: si opus, vel æquale sit mercedi, vel etiam maius, nulla interueniente conuentione. Ex ratione vtriusque, cum & pactum intercedit, & opus est vere par mercedi: vt cum operarij ad vineam denario conducuntur.

XVIII. Hinc tres sententias Bellarminus enumerat. Vnam, Caietani censentis opera bona iustorum esse meritoria vitæ æternæ ex condigno ratione operis, etiam si nulla exstaret diuina conuentio. Nimirum ita Caietanus in 1. 2. quæst. 114. disputat contra Scotum: concludens ex hoc ipso, quod actus sit bonus, esse ordinatum à Deo ad præmium, idque, quantum ex ratione actus: adeo vt non oporteat aliam ordinationem superaddi.

XIX. Secundam, quorundam existimantium opera bona ex gratia procedentia non esse meritoria ex condigno ratione operis, sed tantum ratione pacti, & acceptationis diuinæ. Ita sensisse Scotum in 1. Sententiar. dist. 17. q. 2. Verba recito, *Ratio meriti non habetur complete, nisi habeatur ratio digni vel digne ordinabilis ad præmium, quod est beatitudo: & hoc digne secundum iustitiam commutatiuam siue retributiuam: Sed quicunque actus ex solis intrinsecis agentis non habet hunc ordinem: tunc enim Deus non posset ei, qui sic operatus est, non retribuere beatitudinem, nam iniuste eam sibi detraheret: hoc autem est falsũ: ergo talis ordo secundum iustitiam est ex sola voluntate diuina gratuite ordinante. Et ita ratio meriti completi erit ex ordinatione voluntatis diuinæ illius actus ad præmium.*

XX. Nec vero defuisse Scoto suos sequaces agnoscit Bellarminus, & in iis Vegam, cuius opusculum de Iustificatione, ego non vidi. Sed Conradum Clingium legi, cap. 22. locorum communium, *Opera iustificatorum* (inquit) *quamuis ex fide Christi ad laudem & gloriam Dei atque dilectionem proximi fiant, quia tamen nos ex carne & sanguine polluti sumus: hinc est, quod opera nostra in sua bonitate, natura, & dignitate considerata, sint impura: & imperfecta ex se & propria sua virtute. Et quoniam omnia opera nostra, etiam post fidem facta: sunt imperfecta, & immunda, & inuoluntaria: ideo non possumus contendere cum Deo, quasi nobis aliquid debeat, & teneatur ex condigno, sicut mercenarius pro suis laboribus cum Domino. Et in eum finem dicimus quod opera nostra non merentur vitam æternam, nec apprehendunt, sicut mala, & imperfecta moneta nihil emi potest.*

XXI. Sed tertiam sententiam Bellarminus præfert, vt probabiliorem, quæ docet, opera bona iustorum meritoria esse vitæ æternæ, ex condigno, ratione pacti, & operis simul: non quidem quod sine pacto, vel acceptatione, non habeat opus bonum proportionem ad vitam æternam, sed quia non teneatur Deus acceptare ad illam mercedem opus bonum, quamuis par & æquale mercedi, nisi conuentio interueniat. Atque hanc censet esse sententiam, non tantum Concilij Tridentini, sed etiam Thomæ. At Vasques disputat. 214. in 1. 2. longe fusius, primam sententiam & explicat & disputat, bona opera iustorum ex se ipsis absque vllo pacto, aut acceptationis fauore, condigne mereri vitam æternam: quod ipsum tribus distinguit capitibus: Vno, opera iustorum, absque vlla acceptatione & pacto ex se habere dignitatem vitæ æternæ: altero, ex meritis aut gratia Christi non habere nostra opera maiorem dignitatem, quam alias ex gratia Dei haberent: tertio, pactum seu promissionem, quæ bonis operibus accessit, minime pertinere ad rationem meriti.

XXII. Disputatur etiam, vtrum omnia, an tantum quædam bona opera sint meritoria. Vasques disp. 217. in 1. 2. à non paucis affirmatum obseruat, non omnia, sed ea tantum quæ aliquomodo à charitate imperantur: ipse tamen omnia mauult.

CAP. II.

De Merito, Catholicorum sententia.

I. CONfessionis Gallicanæ artic. 13. verba sunt, *Omni virtutum & meritorum opinione abiecta, in sola Iesu Christi obedientia prorsus acquiescimus.* Et articul. 22. *Quamuis Deus, vt nos plene seruet, regeneret nos, & ad sanctam vitam formet, tamen profitemur bona opera quæ duce ipsius Spiritu edimus, non respici à Deo, vt per ea iustificemur: aut filij Dei censeri mereamur: quoniam perpetua dubitatione & trepidatione fluctuaremur, nisi vnica satisfactione illa niteremur, per quam nos omni nox a Iesus Christus exemit.* Ex his verbis apertum satis est improbari Catholicis merita operum bonorum. Sed id nos breuiter dictum debemus fusius explicare.

II. Merendi vocabulo solent Latini moralem causam significare propter quam aliquid alicui accidit: & quatuor terminos simul consignificant, primum, eum qui meretur: secundum, eum, apud quem ille meretur: tertium, id quo meretur, & solet meritum appellari: quartum, id quod meretur, & præmiũ mercesve in bonam, pœna autem & supplicium in malam partem designatur: quamquam catachresi quadam factum sit, vt præmium mercesque in vtramque sint ambigua. Sic in hac controuersia, primus terminus est homo: secundus, Deus: tertius, opera: quartus, salus damnatiove: prout meritum est in bonam malamve partem: & opera bona vel mala. Ex iis terminis secundus obligari dicitur primo ex merito ad præmium, siue debere primo præmium,

III. Quanquam obligationem, siue debitum, non intelligendum est reciprocari cum merito: patet enim latius: quia potest se ipsum quisque obligare sponte promittens absque vllo eius merito cui promittit, sic enim diues inopem virginem tenetur ducere, tantum quia promisit: & adoptans adoptatum filij loco habere, & hæredem scribere. Potest rursus aliquis obligari alteri à potentiori: vt homo tenetur hominem amare, etiam immeritum, propter legem Dei ita statuentis: & parentes, ex se natos educare.

IV. Sed meriti obligatio duplici nititur fundamento, libertate & æqualitate. Oportet enim primo id quo alium nobis deuincire volumus, eidem non deberi vllo alio titulo: quod agnoscunt Scholastici. Neque enim seruus, qui iam ex iure seruitutis laborem suum hero debet, locabitur diurno denario: sed tantum mercenarius, qui sui iuris ita sit, vt imperium detrectare possit, atque adeo non offendere, si operam suam neget.

V. Secundo debent meritum & præmium sibi æqualitate quadam respondere: neque enim quodcunque meritum esse potest cuiuscunque præmij: Vt si operæ diurnæ merces sit denarius: non erit etiam operæ vnius tantum horulæ. vnde in Euangelio murmur eorum qui æstum diei tolerarant, & patrisfamilias ratio, non à merito aliorum, sed à propria benignitate.

VI. Verumtamen hæc æqualitas partim exacta est, partim arbitraria. Exacta inter res eiusdem generis: vt cum par pari dicitur referendum, cum bos boue permutatur, amor amore pensatur, & æs contractum ære dispungitur. Arbitraria autem, inter res diuersi generis: vt cum permutantur χρύσεα χαλκείων: cum operæ redimuntur certa pecunia. Est vero arbitrium vel à lege generali, vel à pacto peculiari. A lege, vt in Republica nummorum variorum comparatio. A peculiari pacto: vel mutuo, vt in licitationibus: vel statuto eius autoritate, à quo præmium exspectatur: sic enim certaminum constituuntur coronæ: vt non à natura rerum æqualitas æstimetur, sed tantum à voluntate cõstituentis: sic rex eiusdem certaminis βραβεῖον constituere potest sestertia quotcunque: cum inter Græcos, apium aut oleastrum, aut laurum victores acciperent.

VII. His ita positis, deinceps opera diuiduntur in bona & mala: quibus respondent præmia, & supplicia. Opera mala vere & proprie esse suppliciorum merita, adeo vt propter ea merito Deus autores puniat æterna morte, in confesso est.

VIII. Bonorum vero operum alia ratio. Primo enim, si simpliciter considerentur, meriti apud Deum rationem habere nullo possunt modo: ratio facilis, quia omnia debentur iure creationis. Creatus est homo, debet se totum, ac proinde quicquid suum est, creatori, quantumvis nulla spes esset vllius præmij inde consequendi: quomodo inopum & mendicorum liberi, etsi nullam hæreditatis paternæ spem habeant, tamen non minus debent parentibus, quam qui Cræso nati erant. Est enim natura cognitum etiam Ethnicis, neque Deo, neque parentibus paria posse referri. Itaque in Creatione nihil promissum homini legimus: si obtemperaret Deo, sed tantum minas propositas, si rebellis esset. Nimirum, quia officij neglectus peccatum est: & præstatio non est meritum.

IX. Sed accessit tamen legis pactum, *Hoc fac, & viues*, Hoc autem supposito considerantur bona opera, vel abstracte & ex sui definitione, talia, qualia esse debent, id est, describuntur à lege: ac tum merita dici sane possunt ex pacto, quomodo nos suo loco disputauimus, Christi iustitiam meritum esse: & si quis hominum, præter eum, daretur, qui nunquam esset transgressus legem diuinam, hic similiter dici posset sibi meruisse vitam.

X. At si eadem opera consideremus non tanquam ideas Platonicas; sed qualia præstantur ab hominibus; idest, & præstita sunt inde ab Adamo, & præstabuntur ad diem vsque iudicij: Tum vero negamus aut extra gratiam esse merita de congruo: aut in gratia, de condigno, imo vllo modo esse merita; nisi abusiue, atque adeo traducto vocabulo à propria & natiua significatione in aliam: vno verbo, nullo iure meriti operum teneri Deum aut peccatorem vocare ad gratiam; aut vocato, imo accepto in gratiam siue augmentum gratiæ reddere, siue vitam æternam, siue in vita æterna augmẽtum gloriæ.

CAP. III.

De nomine meriti ex Scripturis.

I. IN hunc modum explicatis vtrinque sententiis iam disputatio erit; primum de vocabulo meriti: tum de re. De Vocabulo pronunciauit Caluinus, Institut. 3. c. 15 § 2. Quicunque primus meriti nomen operibus humanis ad Dei iudicium comparatis aptauit, eum fidei sinceritati pessime consuluisse: non ille quidem contentiosus λογομάχος, sed certe religiosissimus sacræ simplicitatis obseruator, nec facile patiens, cum nihil opus foret, vsurpari exotica vocabula, quæ multum adferrent scandali, ædificationis minimum.

II. Hanc iudiciosissimi viri censuram tulerunt impatienter Sophistæ. Porsanus Pythagoricum αὐτὸς ἔφα exprobrat: quasi nuda ἀποφάσει sensum suum protulisset, & non certas rationes subiecisset. Sed hoc Sophistis ex disciplinæ instituto solenne est, vt quæ refutare non valent, dissimulent. Qui tamen sibi ipsis indulgent, suis etiam imperent cæcam obedientiam. Bellarmin. animosior, etiam incredibilem arrogantiam lanciant: quasi non solum totam antiquitatem temere & impudenter accusantis: qui tamen non poterat modestius animi sui sensum aperire, sed ipsum etiam Spiritum Sanctum corrigentis: quasi iam certis demonstrationibus euicisset hoc vsum vocabulo Spiritum Sanctum.

III. Caluino sic sentiendi causa trigemina. Vna peregrinitas: altera superfluitas: tertia periculum. Nam primo vocem meriti non esse ex vsu Scripturæ. Secundo non deesse alias quibus commodius exprimatur pretium bonorum operum. Tertio, & fastuosissimam esse: & obscurare Dei gratiam: & homines praua superbia posse imbuere. Et certe incommodi testimonium

mum luculentissimum habemus, ab ipsa Papistarũ inquietissima in hanc partem doctrina. Nam primo, vnde illis tot distinctionum curiosissimarum plaustra; nisi ad vitanda (si vitari potuissent) varia incommoda? Deinde, vnde de his ipsis distinctionibus tot sententiæ, non tantum variæ, sed etiam pugnantes? Nonne fuit melius inutilem de via lapidem semel tollere; quam infinita cura, multiplicatisq; indiciis prætereuntes monere, cauerent offendere?

IV. Sed primam causam aduersarij impugnant. Et, quod ad nomen meriti attinet, inquit Bellarmin. non desunt testimonia Scripturæ Sacræ, vel vbi eiusmodi nomen aperte cõtineatur; vel vnde facili negotio deducatur. Ergo hoc inquam videamus: prius tamen moniti agi de merito in bonam partem.

V. Obiiciunt ergo aliquot Scripturæ locos: & primum ex Ecclesiastici 16. *Omnis misericordia facit locum vnicuiq; secundum meritum operum suorum.*

VI. Sed expedita responsio est. Primo, librum non esse Canonicum. Itaque non magis probare in Scripturis sacris id vocis contineri, quam si quartus Esdræ nominaretur, aut Maccabæorum. Secundo, non esse eius autoris verba, sed interpretis: rursus ergo, non magis inde probari meriti vocem esse è Scriptura, quam Orionis & Pleiadum, aIobo: aut hederæ à Iona: Etenim Græce autor ille, quisquis est, scripsit κατ' ἔργα.

VII. Et de priore quidem solutione tacet Bellarminus. Ad posteriorem vero regerit illud κατ' ἔργα, recte verti, secundum meritum operum, vel pro merito & dignitate operum. Quid enim est, inquit, reddere secundum merita, nisi, reddere sicut opera merentur? Tum vero Hieronymum, idipsum quod Hebræi Græcique dicunt, secundum opera, solere reddere per vocem meriti. Iudicum 20. *Vt pessimus pugnare contra Gabaa Beniamin, & reddere ei pro scelere quo meretur.*

VIII. Sed contra, primo, quæri nunc dico, vtrum ipsum vocabulum extet in Scripturis: hoc autem non probari, etiam si concederem non peccasse autorem vertendo. Nam aliud est vocabulum ipsum, aliud ipse vocabuli sensus. Enimuero, etsi res per τὸ ὁμωνύμον significata perspicua sit, & certissima in Scripturis, tamen hæreticis obiicientibus, nemo vnquam negauit non legi τοῦ ὁμωνύμου verbum in Scripturis, sed tantum disputarunt Catholici retinendum, etiam si non legeretur. Nec aliter hodie Papistæ, de Missa agunt, & Purgatorio, & aliis, quibus putant ea significari, quæ in libris sacris doceantur.

IX. Sed enim proferri hunc locum ad probandum ipsum vocabuli vsum, patet ex Bellarmino, qui cap. 3. *Sed*, inquit, *vt iam ad rem ipsam veniamus.* ostendens se capite tertio de re nondum egisse: ideoque tantum de nomine. Patet rursus ex Porsano, cuius totidem verba, *Si Caluinus nolit vocabulum meriti, at vult Spiritus Sanctus.* Patet tertio, ab ipso delectu huius versiculi. Nam si rem duntaxat vellent probatam, cur hunc versum omnes selegerunt, & proximum neglexerunt? *Correctio illius hominem secundum opera iudicat.* In promptu causa est: quia cum in vtroque sit illud κατ' ἔργα: tamen sui nescio quomodo oblitus interpres, non vertit *meritum*, sed ad verbum, *Secundum opera.* Imo, quid opus erat libro Apocrypho, cum præsto essent Canonici? Ad Roman. 2. 2. ad Corinth. 11. 2. ad Timoth. 1. & 4. Apoc. 2. & 22. Nimirum illexit eos meriti sonus ipse: & quidem tanto potentiori fascino, quanto disertius vtrumq; legebant: non meritum solum, aut opera sola. sed meritum operum. Itaque putarunt se reperisse quod in faba pueri clamitant.

X. Secundo, phrasin hanc κατ' ἔργα concedo interdum bene verti per merendi vocabulum. Sed semper, nego. Nam, exempli gratia, Matthæi 23. cum legas κατ' ἔργα αὐτῶν μὴ ποιεῖτε, tamen nemo vnquam sanus reddat, *secundum merita eorum*: sed tantum, *secundum opera eorum ne facite.* Sic 1. Samu. 7. κατ' πάντα τὰ ἔργα αὐτῶν ἃ ἐποίησάν μοι οὕτως αὐτοὶ ποιοῦσι καὶ σοί, *Iuxta omnia opera quæ fecerũt, sic faciunt etiam tibi* Quod si non semper: ergo non ipsa hæc verba per se: sed circumstantia loci, meritum, si forte includet.

XI. Quid tum ergo, si aliquo loco Hieronymus ita vertit? Quanquam possum contradicere. Quin constanter nego vllum locum dari (hoc vno excepto) vbi vel Hebræum במעשים vel Græcum κατὰ ἔργα, per meritum exprimatur. Solet enim ille potius ad verbum, vt Psalmo 28. *Da illis secundum opera eorum.* Prouerbiorum vigesimo quarto, *Reddam vnicuique secundum opus suum.* Secundi Esdræ 6. *Iuxta opera eorum ea alia.* Psalmo 62. *Tu reddes vnicuique iuxta opera sua.* Prouerbiorum 10. *Iuxta opera manuum suarum retribuetur ei.* Et 24. *Reddetque homini iuxta opera sua.*

XII. Et vero, Meritum, nusquam legas nisi in Ecclesiastico ter. Vno autem hoc loco excepto de quo agimus, in reliquis Græce est κατὰ τὴν ἀξίαν. ca. 10. *Da illi honorem secundum meritum suum.* 38. *Fac luctum secundum meritum eius vno die vel duobus.* Ter rursus occurrit aduerbium *Merito.* Genes. 42. *Merito hæc patimur.* pro quo Hebraice est אכן אשמים אנחנו. Græce, Ναὶ, ἐν ἁμαρτίαις ἡμῶν. Iob 21. *Vt merito non debeam contristari.* Hebraice: ואם מרועי לא תקצר רוחי: Græce, ἢ διὰ τί οὐ θυμωθήσομαι. Iud. 10. *Vt non pro his merito pugnare debeamus*: cui in Græcis nihil est, quod respondeat.

XIII. Merendi verbum haud multo frequentius: omnino nouies occurrens, sed nunquam respondens huic phrasi κατ' ἔργα. Imo, quod notandum, nunquam nisi in malam partem. Nam quod ex Iudicum vigesimo Bellarminus excerpit, Hebraice est בכל הנבלה Græce κατὰ πᾶσαν τὴν ἀφροσύνην. Genes. 4. *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear*: גדול עוני מנשא μείζων ἡ αἰτία μου τοῦ ἀφεθῆναί με. Deuter. 7. *Et reddens odientibus se statim, ita vt disperdat eos, & vltra non differat, protinus eis restituens quod merentur.* ישלם לו אל פניו לאבדו אל יאחר אל פניו ישלם לו ἀποδώσει αὐτοῖς. Iosue 11. *Et non mererentur vllam clementiam.* לבל תי חיות להם תחנה ὅπως μὴ δωρῆται αὐτοῖς ἔλεον. Secũdi Paralip. 19. *Et idcirco iram quidẽ Domini merebaris* על זאת היתה עליך קצף מלפני יהוה אבל נמצאו בך דברים טובים. Ester. 16. *Deo reddente ei quod meruit.* Θεοῦ δὲ τὰς πράξεις ἀποδοῦντος αὐτῷ κρίσιν. Iob 6. *quibus iram merui*: quibus verbis Hebraica nulla respondent, aut Græca. Vndecimo, *Et intelligeres quam multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua.* וידעת כי הרבה פחות הענישך עונך ἔγνως ὅτι ἀπὸ πολλῶν ἐλάττων ἐκρίθης ἀνομιῶν σου. Ad Hebræos 10. *Quanto magis, putatis, deteriora merebitur*: Πόσῳ δοκεῖτε χείρων ἀξιωθήσεται.

XIV. Fallebat ergo Bellarm. cum solitum dicebat Hieronymum illud κατ' ἔργα reddere per meritum, aut certe probabat à se nimium indiligenter consideratos esse locos. Nobis autem vehemens coniectura est ea, quam obseruauimus semper mereri ab eo, si tamen is est, vsurpari cum de peccatis agitur: quæ nos non negamus esse vere merita.

XV. Alterũ locum proferunt ex ad Heb 13. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Hic Salmero, *Et vide, Hæretico, merita, & satisfactiones ad abluenda peccata.* Et ad marginem, *Impie, Lutherane, contra satisfactiones, quid etiam oblatras? nunc tace tandem, & obmutesce:* En triumphos! Sed de lectis in litore cochleis, vt olim.

XVI. Nam rursus argumentum est, non ab authoritate Scripturæ, sed à Latini interpretis, facilitate dicam, an quid durius? Nam Paulus Græce dixit εὐαρεστῆσαι, vt doceret tales hostias placere Deo, atque esse gratas, acceptasque: & si, vis, his Deum delectari. Nam omnino τὸ εὐαρεστεῖν pertinet ad explicandam Dei voluntatem: itaque merito respondere non potest, quod est hominis. Placere autem posse etiam ea in quibus nullum est meritum, quis ignorat? Paulus ad Titum 2. seruos iubet dominis εὐπροσδέκτους εἶναι: cum tamen certum sit nihil posse mereri: vt omnino necesse sit placere, non cum merentur, sed cum ea faciunt, quæ iam debent. Psalmo 116. Græce est, εὐαρεστήσω ἐνώπιον κυρίου ἐν χώρᾳ ζώντων, *Placebo in conspectu Domini in regione viuentium:* vbi omnes ab omni parte viuunt, inquit Bellarminus, & ideo placent omnibus modis Deo viuenti. Et vero de iisdem Basilius in Psalmum 114. οὐκ ἔνι ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐν τῇ ἀναστάσει, ἀλλὰ μία τίς ἐστι καὶ μονότροπος εὐαρεστούντων τοῖς ἐν τῇ χώρᾳ τῶν ζώντων κατοικοῦσιν, *Neque mas est, neque fœmina in resurrectione, sed vna quæpiam vita & vnius modi, placentibus suo domino iis qui habitant in regione viuentium.* Et tamen, inquam, in ea regione, ne Papistæ quidem vlla agnoscunt merita. Quod si nulla merita, vbi maxime placetur Deo, necesse est aliud esse placere Deo, aliud mereri. Olim legebat aliter Augustinus de Ciuitate Dei lib. 10. c. 5. *Talibus enim sacrificiis placatur Deus.* Vbi Viues, *In antiquis placetur Deo: vtrumq; melius, quam quomodo vulgo habemus.* Deniq Oecumenius explicat ἀρέσκεται, *delectatur.*

XVII. Instat tamen Bellarminus. At certè, inquit, propriissime dicimus Latine vnum apud alterum mereri, & eum sibi obstringere, qui facit aliquid, quod ei placeat, eumque delectet. Adde, quod coniunctum cum vocabulo hostiarum, non solum significat Deum delectari bonis operibus: sed etiam conciliari, & induci ad bene faciendum iis qui bene operantur.

XVIII. Respondeo, in priori terminos non conuerti. Sic enim verum est placere, quicunque bene meretur: vt tamen non vicissim mereatur quicunque placet, aut delectat. Potest enim herus εὐαρεστεῖν officiis serui, apud quem tamen seruus non mereatur: quandoquidem debet ea ipsa officia, quæ exhibet vt placeat. Sic apud Terentium Sosias, *Gaudeo si tibi quid feci, aut facio, quod placeat.* Et, vt mox dicebamus, placebunt beati Deo in immortali vita, vbi tamen nihil merebuntur.

XIX. Nam quod in posteriori additur de hostiis, ego sane non capio, quãti sit momenti. εὐαρεστεῖν additum hostiis, non solum significat delectari bonis operibus, sed etiam conciliari, & induci ad benefaciendum. Atqui, inquã, debuit Bellarmin. non dicere, sed demonstrare: nam nos, qui negamus operum merita: negamus eadem opera conciliationem per opera. Itaque affirmando nihil promouet Iesuita. Quanquam Sacrificiorum peculiaris ratio: quia hæc conciliant, non per modum meriti, sed typi: id est, non tam conciliant ipsa, quam veram rationem ostendunt conciliandi, nempe Sacrificium illud vnicum, cui significando instituta fuere.

XX. Tertio loco Bellarminus, in subsidium vocat omnes locos, vbi inuenitur nomen dignitatis. Nam quod nos dicimus, inquit, mereri, Græci dicunt ἀξιοῦν, id est, *dignum esse.* & meritum vocant ἀξίαν. Poster. ad Thessalon. 1. *vt digni habeamini regno Dei*: εἰς τὸ καταξιωθῆναι ὑμᾶς τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ. Apocalyp. 3. *Ambulabunt mecum in albis: quia digni sunt*, id est, quoniam id merentur. Et 16. *Dedisti eis sanguinem bibere: digni sunt enim*: id est, merentur.

XXI. Sed Sophistis si tanta est confidentia, vt quidlibet asserant: at non certe tanta autoritas, vt quidvis persuadeant absque argumentis. Nos scimus dignitatem longe patere latius quam meritum. Est enim meritum, ex ipsa definitione aduersariorum, opus liberum At nos dignitatem inuenimus, absque vllo opere. In Scholis tritum illud ex Porphyrio. Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Et illud ex Aristotele Rhetoric. 3. τὸ ἀξίαν δεῖν αἰκίζειν τὸν ἄξιον. Ex Terentij Eunucho, *Non tu te dignum, Charea, fecisti: nam si ego digna hac contumelia sum maxime, at tu indignus qui faceres tamen.* Infinita sunt huiusmodi. Etiam in Veteri interprete, Esther 1. *Vinum quoque, vt magnificentia regis erat dignum, abundans.* Esaiæ 32. *Princeps ea quæ digna sunt principe cogitabit.* Enimuero, neque vini in regem vlla erant merita: neque cogitatorum in principem: neque apud Terentium recte vertas: at tu non merebaris id facere. Basilius contra Dunomium 5. cap. 14. Βαπτίζει Χριστὸς τῷ πνεύματι τοὺς ἀξίους ἁγιασμοῦ. Quis tam Papista, vt sic reddat, *Baptizat Christus Spiritu eos, qui merentur sanctificationem:* Quare dignitas non semper meritum significat.

XXII. Neque omittendum: ἄξιον sæpe dici de posterioribus relatis ad præcedentia, adeo vt meriti nulla ratio inesse queat. Zenon apud Arsenium Monembasium, ἔλεγε μὴ δεῖν ζητεῖν τοὺς ἀνθρώπους, οἱ τινες οὐκ εἰσὶ μεγάλης πόλεως εἰσὶν, ἀλλ' εἰ μεγάλης πόλεως ἄξιοι, *dicebat non debere anquirere homines, quinam essent oriundi vrbe ampla: sed potius, vtrum essent ampla vrbe digni.* Dignos vrbe, interpretare, qui meriti sunt eam vrbem, aut ex ea vrbe nasci, quid magis ridiculum? Qui enim potuerant mereri, qui nondum erant nati? Sed qui post quam nati sunt, dignos se exhibuerunt sua vrbe, legitima explicatio est. Eadem analogia Antonius in oratione funebri Cæsaris apud Cassium li. 44. θεοῖς τινες οὐκ ἄξιοι παῖδες ἐπευφημήθησαν, *Deorum filij quidam immerito nominati sunt.* Et Calenus de Cicerone apud eundem libr. 46. πρᾶξιν εὐδαιμίαν πώποτε ἐλλογιμοῦ ἀνδρὸς ἀξίαν πέπραχας, *Nullam rem illustri viro dignam vnquam fecisti.* Eadem & Baptistes dixit Matth. 3. Fructus ἄξιος μετανοίας, non qui mererentur pœnitentiam: quo enim bono sensu? sed qui responderent professæ pœnitentiæ; &, vt loquitur Franciscus Lucas,

cas, qui decerent pœnitentiam, siue pœnitentes: quos dignum esset pœnitentiam producere.

XXIII. Aliquando τὸ κατ' ἀξίαν meritum redditur, vbi tamen opus nullum est. Exempla sunt in Ecclesiastico duobus locis paulo ante citatis. Cap. 10. *Fili, in mansuetudine serua animam tuam, & da illi honorem secundum meritum suum:* κ᾽ τὸν ἀξίαν αὐτῆς. Iansenius. *Non enim hic locus accipiendus est de merito operum, sed de dignitate ipsius animæ, quam habet ex sua conditione.* Cap. 38. *Fac luctum secundum meritum eius.* Iansenius, *Non significat pro merito vitæ & operum mortuum plangendum esse, sed secundum dignitatem eius, est enim Græcis* κ᾽ τὸν ἀξίαν αὐτοῦ, *hoc est, prout dignus est desideri à te.*

XXIV. Iam ἀξιῶν & ἀξιοῦν, Bellarmini prodit insignem aut temeritatem aut imperitiam. Nego enim vnquam significare meritum, sed dignationem. Est autem meritum eius, in quem aliquid confertur: at dignatio eius, qui confert. Itaque Scholiastes Aristophanis Equitibus, exponit ἀξιῶ, ἄξιον κρίνω, *dignum iudico.* Sed est etiam dignitatem alicui conferre, vt 2. Maccabæorum 9. ἐς διεγνώκει μηδὲ ταφῆς ἀξιῶσαι, *quos decreuerat ne sepultura quidem dignari.* Posterioris ad Thessalonicen. 1. ἵνα ὑμᾶς ἀξιώσῃ τῆς κλήσεως ὁ Θεὸς ὑμῶν, *Vt dignetur vos vocatione sua Deus.* Oecumenius in 4. ad Romanos de Abrahamo, σὺν τῇ ἀκροβυστίᾳ ἠξιώθη τῆς δικαιοσύνης, vbi quis non videt ineptum fore, si quis reddat, *Abraham in circumcisione meritus est iustitiam?*

XXV. Itaque ἀξιοῦν, est dignitatem ab alio accipere: quomodo Æneidos 3. Virgilius, *Coniugio Ænea Veneris dignate superbo.* Et Eclog. 4. *Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est.* Certe Caietanus illud ipsum κατ' ἀξιωθῆναι expendens. *Non dixit,* inquit, *digni sitis, quoniam non sunt condignæ passiones huius temporis ad futurum regnum, sed vt digni habeamini ab ipso Deo.* Sic omnino Marcus Eremita cap. 22. de iis qui putant se operibus iustificatum iri, dixit, ὅσοι τῷ λουτρῷ τῆς παλιγγενεσίας ἠξιώθημεν; cũ tamen certum sit baptismum non acquiri meritis. Sic Oecumenius in 8. 1. ad Corinth. παῦλος ὢν ἔτι τῆς κλήσεως ἠξιώθη; *iuuenis adhuc cum esset, nimirum Paulus, vocationis honorem adeptus est.* Et tamen, neq; vllus vocationem mereri potest: & minime omnium Paulus.

XXVI. Non probant ergo Papistæ in Scripturis *meriti* vocem vsurpari, & tribui operib. bonis comparatis ad Deum. Nam quod Bellarminus argumentum addit à mercede, differo: quia id non de nomine est: se de re: itaque paulo post recurret opportunius.

CAP. IV.

De Merito congruo.

I. HActenus vocabulum: nunc res ipsa tractanda, quæ per meritum significatur. Et primum de Congruo, deinde de Condigno. Sed illud tamen admodum est sterile, ac ferme desertum, pauculis tantum coniecturis indicatur potius, quam rationibus confirmatur: atque adeo à multis etiam Papistis, vt diximus, improbatur: ne Bellarminus quidem dignum existimauit, in quo stylum suum exerceret, otiumve occuparet, curiosus alioquin huiusmodi captator subtilitatum. Becanus negauit necesse esse de eo disputari, de quo nihil certi possit affirmari. Effecit tamen Bunderius, effecit Vasques, disp. 218. in 1. 2. vt ne inauditum prorsus damnetur, conquisitis Sophismatis nonnullis, quæ nobis non prætereunda.

II. Primum Sophisma Lucæ 19. *Omni habenti dabitur, & abundabit.* Vbi Theophylactus, *Qui negotiatione boni multa lucratus fuerit, illi dabitur & amplius.* Ergo congruum est, vt bene vtenti bono naturæ propter Deũ, Deus qui est maxime munificus, bona gratiæ largiatur.

III. Sed hæc multimodis peccat ratiocinatio. Primo non concludit quod est in quæstione. Nõ enim ponit esse aliquem bene vtentem bono naturæ, sed tantum, bene vtẽti deberi munificentiã. At hoc non conficit esse aliquod meritum congrui: nisi prius probetur esse aliquem ita bene vtentem. Nam si dicas: Si sint homines alati aquilarum instar: ergo sunt aliquot homines volatici: non tamen probaris esse homines volaticos: nisi prius verum sit esse homines sic alatos. At nos negamus vllos vnquam fuisse bene vtentes bono naturę propter Deum: itaq; non dabimus esse aliquod meritum congrui. Quare ad homines extra gratiam illud pertinet potius, ex Matt. 25. *Qui vero non habet, etiam quod habet, tolletur ab eo.*

IV. Secundo, etiamsi concederentur esse, qui bene vterentur bono naturæ, & congruum esse, vt in eos Deus sit munificus: tamen non concluditur meritum. Non enim quicquid congruum est, etiam meritum supponit. Genes. 40. habes somnij interpretationem congruam. Exo. 15. *congruum loco nomen,* nec tamen opinor ex opere meritorio. Hic vero causa manifesta, quia congruitas desumitur à liberalitate & munificentia Dei, non ab opere: at meritum oportet esse ab opere.

V. Tertio, non constat illa Christi verba dicta esse de homine in puris naturalib. Maldonatus in Matth. 25. Christum de Fidelib. tantum videri loquutum pronuntiauit. Et in Lucam Caietanus, *Intellige per decem minas, vniuersa dona, quæ Iesus distribuit Ecclesiæ suæ.* Thomas etiam in Cathena. *Significat ergo per eos qui minas recipiunt, suos discipulos.* Deniq; nõ omnes colligam: Lyranus, *Vocatis decem seruis suis, id est, fidelib. vniuersis.* Hæc si vera sunt, tum hæc Domini parabola, agens de puris naturalibus, non potest etiam ad meritum congrui pertinere.

VI. Secundum Sophisma. Exod. 1. Obstetrices Israelitici populi, solertia sua seruantes & non interimentes mares, meruerunt sibi ædificari domos. Poster. Reg 10. Iehu vindicans peccatum Achab, eius perimendo domum, meruit sibi regnum in quartam generationem. Ezechielis 29. Nabuchodonosor meruit sibi dari terram Ægypti: quia seruiuit Domino contra Tyrum.

VII. Respondeo, primo, hæc exempla nulla esse ad rem: nam quæ merces istis reddita est, non pertinet ad primam gratiam, quam tamen Papistæ mercedem faciunt meriti congrui. Secundo, nego in iis vllum esse meritum: nec vero ita nominat Scriptura: sed tantum in Nabuchodonosore, mercedem: quæ non semper meritum supponit, vt alias videbimus. In reliquis tantum legas, *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos. Quia studiose egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis; filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.* At hæ formulæ loquendi meritum non necessario significant, sed quodcunq; genus cohærentiæ, aut consequentiæ. Genes. 29. *Da mihi vxorem meam: quia iam tempus impletum est.* Est post, *Quoniam audiuit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi.*

VIII. Tertium Sophisma. De hoc merito est illud Zachar. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Ezech. 8. *Quacunque hora auerterit se impius ab impietate sua, & fecerit iustitiam: ipse animam suam viuificabit:* faciente namq; homine quod in se est, Deus superaddit quod suum est, ex sua munificentissima liberalitate, & bonitate.

IX. Imo conuertere se quemquam ex puris naturalibus, mere Pelagianum est; & à Catholicis alienum. Augustinus de gratia & Libero Arbitrio. *Talia ergo de Scripturis colligunt, quale hoc est vnum, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: vt secundum meritum conuersionis nostræ ad Deum, detur gratia eius, in qua ad nos & ipse conuertitur.* Et tibi originẽ meriti de congruo. Sed refutat Augustinus; hoc certissimo argumento; quod conuertat nos Deus. *Nec attendunt,* inquit, *qui hoc sentiunt, quia nisi donum Dei esset ipsa ad Deum nostra conuersio, non ei diceretur, Deus virtutum, conuerte nos. Et Deus tu, conuertẽs viuificabis nos. Et conuerte nos Deus sanitatum nostrarum, & huiusmodi alia, quæ commemorare longum est. Nam & venire ad Christum quid est aliud, nisi ad eum credendo cõuerti? Et tamen ait, Nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei à Patre meo.*

X. Quartum Sophisma Vasquis. Ad Hebr. 13. *Beneficentiæ & communicationis nolite obliuisci: talib. enim hostiis promeretur Deus.* Quod quamuis alij exponant de condigno: tamen Glossa interlinearis, de eleemosynis, quib. hostes superantur, & peccata extinguuntur: quo sensu idem est promereri Deum nostris operibus, & promereri propitiationem. Confirmatur Græca voce ἐξιλεῖται *placatur, conciliatur.*

XI. Sed autoritas interlinearis Glossæ quantula est, cui inniti possit demonstratio dogmatis Theologici? & quidem soli? Quanquam hac exceptione nihil sit opus. Non enim ea Glossa vtitur Vasques: neque illa congruum magis innuit, quam condignum. Sed ille conficit: Idem est, inquit, peccata extingui, & promereri Deum. Esto, inquam: sed quis docuit peccata non extingui nisi congruo merito, non etiam condigno? Papistice loquor, sed Catholice, quis docuit, peccata extingui merito vllo, siue congruo, siue cõdigno? Est enim vel cõdonari, vel deseri mutatione in melius. Si condonari, nulla merita id consequi possunt, alioqui remissio non esset gratuita: sin deseri, quanta absurditas, bona opera mereri nobis, vt discedamus à peccato? cum non fiant, nisi ab eo qui discedat à peccato?

XII. Quod attinet ad Apostolum, primo falsum est, eum loqui de operibus quæ fiunt ante gratiam, quibus solis tum alij, tum Vasques ipse assignat meritum congruum. Loquitur enim potius de beneficentia & communione post acceptam gratiam. Quos enim alloquitur, quæso? Ethnicos-ne aliquos tum primum inuitandos ad fidem acceptandam: an fideles potius eosdẽ quos tota Epistola? Itaque etiam hortatur, vt ne obliuiscerentur: id est, ne intermitterent ἐνποιίαν: nimirum, quia iam feliciter eam exercuerant: & vero quis nescit sic quotidie hortandos etiam quosque maxime fideles, vt pergant cum bene cœperint?

XIII. Porro verbum ἐυαρεστεῖν nego proprie significare placationem: siue conciliationem: quomodo solet intelligi placatio irati, conciliatio inimici. Latius enim significat, quod Oecumenius notat, ἀρέσκεσθαι *delectari.* Et vere Deus delectatur beneficentia, & communione eorum, qui in gratia sunt. Adde quæ c. 3. obseruata sunt, vnde constat non significare merita: & quid restabit? Nam certe si non merita, ergo neque merita congrua.

XIV. Quintum sophisma: De hoc merito ait Augustinus lib. 1. de Baptismo contra Donatistas c. 8. *Cornelius Angelum ad se mitti, & missum meruit intueri, per quem posset vtiq; sine hominis alicuius accessu cũcta necessario discere. Sed quoniam quicquid boni in orationibus, & eleemosynis habebat, prodesse illi non poterat, nisi per vinculum Christianæ societatis, iubetur mittere ad Petrum, & per illum discit Christum, per illum etiam baptizatur: Christiano populo consortio communionis iungitur.*

XV. Sed falsum est loqui Augustinum de merito congrui. Primo enim illud, *mereri,* ille vsurpat, pro assequi, & obtinere, quod ei frequentissimum postea docebimus. Secundo, etsi esset meritum aliquod, tamen nego esse congruum. Ratio, quia Cornelius non erat in puris naturalibus: sed in fide. Testis Gregorius in Ezech. homil. 19. *Cornelius Centurio, cuius eleemosynæ ante baptismum, Angelo testante, laudatæ sunt, non operibus venit ad fidem, sed fide venit ad opera. Nam & eiper Angelum dicitur, Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in conspectum Dei. Si enim Deum vere, & ante baptismũ non crediderat, quid orabat: vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat, si non ab ipso se in bonis perfici petebat? Sciebat igitur Creatorem omnium Deum, sed quod eius Omnipotens Filius incarnatus esset, ignorabat. Neque enim poterat bona agere, nisi ante credidisset. Scriptum namque est, Sine fide impossibile est placere Deo. Fidem ergo habuit, cuius operationes, & eleemosynæ placere potuerunt.*

XVI. Hæc Papistæ: Sed nos contra: Nullum peccatum est meritum apud Deum: At omne opus hominis constituti in puris naturalibus est peccatum. Ergo nullum opus hominis constituti in puris naturalibus est meritum: ideoque nec congruum. Maior patet ex ipsa definitione meriti, quod dicitur esse opus bonum: at nullum peccatum apud Deum est opus bonum: vnde necessaria consequentia, nullum peccatum esse meritum. Minor prolixe disputata est huius tomi libr. 4.

XVII. Nam quod bona opera dicunt, agunt næ vt intelligendo nihil intelligant. Nam bona dicuntur, vel ad homines, vel ad Deum. Ad homines, quæcunq; accommodata sunt iustitiæ, cuius capax est hominis ingenium, etiam peccato venditum in seruitutem: quomodo præclara multa disputata sunt Veteribus philosophis: statuta etiam à legislatoribus, Dracone, Lycurgo, Solone: item Decemviris Romanis, viris sceleratissimis. Ad Deum autem quæ censentur in regula legis diuinæ. Sed illa, merita non possunt dici apud Deum, quia meritum necesse est ab eo probari, apud quem est meritum. Itaque merita sunt sane apud homines. Sed apud Deum, nullo esse modo possunt. Ista autem, nulla vnquam fuerunt vllius hominis ψυχῇ, & nihil

habentis præter naturæ vires. Quare hominis ψυχικοῦ nulla possunt esse apud Deum merita.

XVIII. Præterea: Si opera bona naturaliter sunt merita: Ergo omnibus illa præstantibus debetur gratia. At hoc falsum. Ergo & illud. Ratio consequentiæ manifesta,, ex relatione meriti, & debiti: adeo vt necesse sit, eandem esse rationem debiti, quæ erit & meriti. Si meritum sit condignum, etiam debitum erit condignum, & congruum, si congruum. Itaque meritis congrui debebitur aliquo modo gratia.

XIX. Assumptum patet primo: quia gratia nullo modo debetur, sed est omnino à liberalitate. Itaque quicunque gratiam dicit deberi, is eadem opera dicit lucem esse tenebras: ignem frigidum, & si quid absurdius fingi potest. Ideoque Paulus opponit gratiam operibus. Secundo, si deberetur gratia: ergo Deus iniustus esset. Neque enim iniustus esse non potest, qui debitum non præstat: quandoquidem iustitia est suum cuique reddere, at quod quis meretur, id suum iure potest dicere. Iam vero Deum non dare gratiam omnibus, qui bona moraliter opera faciunt, manifestum est, nec potest in dubum verti à Christiano, ne ab iis quidem qui Traiani boni Imperatoris miserti, finxerunt concessum fuisse precibus Gregorij. Nam hi damnatum agnouerunt, id est, gratia destitutum: quod non debuit, si sunt aliqua merita ex congruo.

XX. Tertio, Si homini extra gratiam aliquod est meritum congrui: Ergo id vel ex omnibus operibus bonis, vel ex aliquibus: At neutrum. Quare nullum est meritum congrui. Patet assumptum. Nam si prius, ergo omnia illius hominis oportet esse bona opera, quod ne Papistæ quidem concesserint, opinor. Et Bellarmin. lib. 5. de Gratia & Libero arbitrio disputauit, non posse solis naturæ viribus adimpleri omnia præcepta moralia, ne quidem secundum substantiam operis, & septimo, non posse solis naturæ viribus vllam veram tentationem superari.

XXI. Si ex aliquibus tantum: Ergo falsum dixerit Iacobus, qui peccet in vno, omnium fieri reum. Tum autem, si mere carnales, etiamsi in plurimis peccantes: vnum tamen aliquod bonum facientes, merentur gratiam: multo magis fideles, vnum aliquid peccantes, multa bona operantes. Et sic falsum erit, Christianos peccantes mereri mortem. Imo Papistæ sibi contradicerent, asserentes quolibet peccato mortali amitti gratiam. Nam quare amittatur vno isto opere, si alius debeatur?

XXII. Quarto, Inimici, mortui, athei, nihil mereri possunt. At omnes homines ante gratiam, sunt inimici, mortui, athei. Ergo nihil merentur. Et si nihil, ergo neque de congruo. Maior per se patet. Nam mortui nihil operantur: Inimici, & athei, nihil propter Deum, potius contra Deum. At consentiunt Papistæ, omne meritum esse opus, & quidem propter Deum. Assumptum facile probatur ex Paulo, ad Roman. 6. *Cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo.* Ad Ephes. 2. *Nos cùm per lapsus mortui essemus, vna viuificauit in Christo.* Item, *Vos illo tempore fuisse absque Christo, spem non habentes, & absque Deo in mundo.*

XXIII. Quinto, Catholici contra Pelagianos constantissime disputarunt, nullum esse meritum, quæ præueniatur gratia. Augustinus Epist. 105. *Si gratia, vtique nullis meritis reddita: sed gratuita bonitate donata.* Et post, *Quia vniuersa ista massa merito damnata est, contumeliam debitam reddit iustitia, honorem donat indebitum gratia, non meritis prærogatiua, non fati necessitate, non temeritate fortunæ.* Item, *Quæ igitur sua merita iactaturus est liberatus, cui si digna suis meritis redderentur, non esset nisi damnatus?* Rursus, *Percipiendæ huius gratiæ merita, nulla præcedunt: quoniam meritis impij, non gratia, sed pœna debetur, nec ista esset gratia, si non daretur gratuita, sed debita redderetur.* Præfatione in Psalmum 31. *Noli præsumere de operibus ante fidem. Noueris, quia peccatorem te fides inuenit: & si te fides data fecit iustum, impium inuenit quem faceret iustum. Credenti, inquit, in eum qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam. Si iustificatur impius, ex impio fit iustus, si ex impio iustus fit, quæ sunt opera impiorum?* Et paucis interpositis, *Si gratia est, gratis datur. Quid est gratis datur? Gratis constat. Nihil bonifecisti, & datur tibi remissio peccatorum. Attenduntur opera tua, & inueniuntur omnia mala. Si quod debetur illis operibus, Deus redderet, vtique damnaret: stipendium enim peccati mors. Malis operibus quid debetur nisi damnatio? Bonis, quid debetur? Regnum cœlorum Tu autem in malis operibus inuentus es, si reddatur tibi quod debetur, puniendus es Quid ergo fit? Non tibi Deus reddit debitam pœnam, sed donat indebitam gratiam; debebat vindictam, dat indulgentiam.*

CAP. V.

Status Disputationis de Merito Condigno.

I. SEd meriti de Condigno longe fertilissimus ager est: atq; adeo vere, vt ita dicam, Ecclesiæ Romanæ hodie idem, quod fuit olim Vrbi Romæ, Siculus & Ægyptius, quo animosior futura disputatio est. Vniuersa autem vt notauimus, occupatur in operibus, quæ fiunt in gratia, id est, ab iis, qui iam vocati ab infidelitate ad fidem, Christo nomen dedere, eique militant in Ecclesia.

II. Quæritur, vtrum sibi quisque fidelis mereatur ex condigno apud Deum. Papistæ asserunt, nos negamus. Et hic status est quæstionis. Quamquam de hoc ipso Scultingius Biblioth. tom. 2. dum agit aduersum caput vndecimum libri tertij, Institutionis admodum sinistre loquatur: *Quod ad meritum condigni attinet*, inquit, *aboleri si nimus aut certe scholis remittimus, vt sine quo subsistere potest orthodoxa fidei veritas: cum nec ipse persuadere potuerit Origenes vllum esse opus nostrum posse, quod ex debito Dei remunerationem reposcat. Cum neque etiam hoc ipsum quod sumus, quod agere, quod cogitare, quod proloqui possumus, ex Dei dono, & largitione sit* (hic videtur luxata sententia, defectu negationis) *nec etiam existimauit Apostolus condignas passiones his ipsis etiam ipsorum, qui Christo incorporati sunt ad futuram gloriam.* Hęc quidem scripsit ille. Verum alij omnes, condignum meritum retinent mordicus.

III. Et Bellarminus quidem deducit plenius. Nam præter propositam quæstionem, distincte examinat: primum, vtrum confidendum sit propriis meritis: secundo, vtrum bona opera liceat fieri intuitu mercedis: tertium, quæ sint, & quot necessariæ conditiones, vt aliquod opus dici possit vere ac proprie meritorium felicitatis æternæ: eas conditiones definiens quatuor; Liberum arbitrium, Statum gratiæ, Promissionem diuinam, Charitatem: quartum, vtrum condignitas sit ratione pacti, an etiam ratione operum, denique, vtrum Deus remuneretur bona opera supra condignum, & peccata puniat citra condignum.

IV. Nos vero non putauimus esse necessarium omnes sigillatim percurrere. Nam tertiam & quartã, ille aduersum nos non instituit, & otiosè instituisset: nam, quia non Entis nullæ sunt qualitates, quicunque funditus meritum tollunt: eos sane de eius conditionibus, aut remuneratione, non oportet esse sollicitos. Viderit ille, quomodo cum suis transigat. Nam nos nostra curabimus, bona eius cum venia.

V. In prima quæstione, pronuntiat aliquatenus posse fiduciam collocari in propriis meritis: quod tribus propositionibus ita explicat. Primo, fiducia Sanctorum, quam in Deo constituunt, non ex fide sola, sed etiam ex bonis meritis nascitur. Secundo, in bonis meritis, quæ vere talia esse compertum sit, fiducia aliqua collocari potest, modo superbia caueatur. Tertio, propter incertitudinem propriæ iustitiæ, & periculum inanis gloriæ, tutissimum est, fiduciam totam in sola Dei misericordia, & benignitate reponere.

VI. Sed nos contra sentire, iam sumus protestati. Atque adeo Caluini iram aduersus huiusmodi meritorum fiduciam valde probamus, nec putamus nimis exagitari posse immanem temeritatem. Nam quod Bellarminus addit conditionem, modo superbia caueatur, non potest non esse ridiculum: cum ipsa illa confidentia non possit esse absque superbia, quandoquidem de meritis supra meritum præsumat, vnde si necesse sit vitare superbiam, omnino etiam necesse sit ipsam meritorum horrere confidentiam.

VII. Distinguit ille quidem, aliud esse fiduciam nasci ex meritis, aliud fiduciam constitui in meritis, sed nos non possumus, quandoquidem merita omnia tollimus. Si tamen pro meritis, opera nominasset, possemus concedere ex operibus nasci confidentiam fidelibus, quæ tota constituatur in misericordia diuina. Nimirum, quia sanctitas vitæ sit effectus inhabitantis gratiæ: ac proinde eiusdem testimonium non leue, ideoque nonnullus ad spẽ salutis gradus. Vnde nobis in Liturgia Cœnæ, potentissima hæc consolatio, cum hortamur singulos, vt suam probent conscientiam, ac videant, num se suorum scelerum pœnitent, atque ex iis dolorem animo maximum capiant, cupientes vitam honeste ac sancte instituere, ac fiduciam habeant in misericordia Dei, & in Christo salutem suam quærant: omnibus inimicitiis, ac simultatibus nuntium remittentes, nihilque aliud studentes, nisi vt posthac fraterna beneuolentia, & charitate proximos complectamur. Tum statim, *Quod si hoc studium in nobis esse nostra conscientia, coram Deo testatur, ne dubitemus, quin habeat nos in filiorum loco, & numero.* Et post, *Quoniam Dominus nobis benignitate sua concessit, vt eius Euangelium in animis nostris impressum, atque insculptum sit, quo incredulitati, diffidentiæq; resistamus: nobisque desiderium largitus est, cupiditatibus nostris renuntiandi, quo iustitiam illius, sanctissimasque leges, & præceptiones obseruemus, certum atque exploratum habeamus, vitia omnia quæ in nobis sunt, minime obfutura, quominus nos admittat, dignosq; reddat, qui spirituali hoc conuiuio participemus.* Ex quibus verbis satis constat, nos etiam confiteri, oriri aliquomodo fiduciam nostram apud Deum, ex operibus nostris, tanquam effectis Spiritus sancti, sed eam tamen fiduciam, quæ non modo nulla sui parte consistat in operibus, sed ne commune quidem habeat quicquam cum meritis.

VIII. Imo, quam sit vana & indigna fide Christiana, fiducia illa in meritis, inde facile est colligere, quod eam duobus maximis incommodis obnoxiam Bellarminus ipse coactus sit agnoscere, incertitudini, & inani gloriæ. Enimuero, si sit incerta propria iustitia, quæ potest, non dicam in ea fundari, sed saltem, ex ea oriri fiducia? Et denique ipsa re comprobatur nostra doctrina. Quid ergo habent Sophistæ, quod nobis aduersentur, cum ipsi cogantur consultissimum docere, auersa ex propriis meritis cogitatione, à sola (quod nos docemus) misericordia diuina fiduciam suam quærere, vbi nihil esse potest inanis gloriæ, & certe maior certitudo?

IX. Sed Cardinalis Bellarmini cautioni longe præferenda est Cardinalis Contareni confessio, libro de Iustificatione, *Ego prorsus existimo pie & Christiane dici, quod debeamus niti: niti, inquam, tanquam re stabili, quæ certo nos sustentat, iustitia Christi nobis donata, non autem sanctitate & gratia nobis inhærente. Hæc etenim nostra iustitia est inchoata, & imperfecta, quæ tueri non potest, quin in multis offendamus, quin assiduè peccemus, ac propterea indigeamus oratione, qua quotidie petamus dimitti nobis debita nostra. Idcirco in conspectu Dei non possumus ob hanc iustitiam nostram haberi iusti, & boni, quemadmodum oporteret filios Dei esse bonos & sanctos.*

X. In secunda quæstione, Bellarminus pronunciat licere operari bona intuitu mercedis æternæ. Et Caluinum videri id negare Institutionis lib. 3. cap. 16. §. 3. & 17. §. 2. Sed ille Caluino illudit, qui longe aliter, *Neque id dico*, inquit, *quod id vel respuam, vel negligam adhortatipnis genus, quod Scriptura sæpenumero vsurpat, ne vllam omittat, nos vndiq; animãdi rationem. Commemorat enim mercedem, quam Deus redditurus sit vnicuique secundum opera sua, sed illud vnicum, atque etiam in multis præcipuum esse nego: deinde exordium inde sumendum non concedo: ad hæc nihil facere ad erigenda qualia isti prædicant, merita contendo.* Fallit ergo Bellarminus, vno verbo, cum dixit, *intuitu mercedis*: si dixisset spe meriti, admisisset Caluinus, nos verbum non commutaremus. Tam certo enim scimus iuuandam infirmitatem nostram intuitu mercedis, exspectandæ à Deo: quam auertendam cogitationem ab omni præsumptione meriti.

XI. Sed nos igitur missis omnibus his quæstionibus, solam illam, harum minutularum fundamentum, quo euerso quicquid superstruitur, necesse sit ruere, disputatione nostra examinabimus.

CAP. VI.

De Mercede.

I. ADuersariis è Scriptura primum est argumentum, frequentissimumque à mercede. Matth. 5. *Gaudete & exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Et 6. *Alioqui mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est.* Et 20. *Vocà operarios, & redde illis mercedem.* Secunda Ioannis, *Videte vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis, sed vt mercedem plenam accipiatis.* Apocal. vlt. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua.*

II. Huius argumenti vim Bellarminus ita concipit. Si vita æterna est merces: ergo bona opera sine dubitatione sunt merita. Rationem consequentiæ habebimus à Porsano: quia non possit concipi merces absque merito: sicut nec filius absque patre: maritus absque vxore: dominus sine seruo: magister sine discipulo: mons sine valle. Qua ratiocinatione vsus est etiam Raconisus.

III. Respondeo, Mercedem aliam proprie dici, aliam improprie, & per similitudinem quandam. De mercede impropria, conceditur antecedens, sed negatur consequentia. Nam homonymorum non potest eadem ratio esse. Si taurus est, ergo natus ex vacca, & habet duo cornua. At mons in Cilicia est Taurus. Et tamen neque natus ex vacca, neque habens duo cornua.

IV. Itaque Porsani exempla quibus probat consequentiam, negantur esse similia, quia omnia propriæ appellationis. Nos autem probamus non esse perpetuam relationem mercedis, & merit, Genes 20. *Dedit Deus mercedem meam: eo quod dederim ancillam meam viro meo.* Atqui nullum in eo potuit esse meritum apud Deum: nullum enim Lea faciebat opus, aut propter Deum, aut bonum, aut bene: itaque nulla ratione poterat appellari meritum, quod à Deo mereretur quicquam. Psalm. 127. *Ecce hæreditas Iehouæ filij: merces, fructus ventris. Repetitio*, inquit Vatablus in maioribus annotationibus: *idem bis dicit, quasi dicat, quod à Deo tanquam iure hæreditario accipimus, sunt liberi, & donum, quo afficit pios Iehoua, quodque ab eius liberalitate proficiscitur, est soboles.* Genebrardus, *Merces, siue donum Domini, nempe fructus ventris.* Et post, *Filij eis dono Dei contingent.* Sed quid manifestius 15. Genes. *Ego sum merces tua*, inquit Deus Abrahamo? Itane obstinabunt se Papistæ, vt asserant Deum ipsum cadere posse sub meritum? Quod si non audiunt: ergo necesse est aliquam esse mercedem præter meritum.

V. Sed Paulus disertus, ad Romanos quarto. *Ei qui operatur, merces non imputatur ex gratia sed ex debito.* Vbi manifeste audis dupliciter imputari mercedem, vel ex debito, nimirum propriam: vel ex gratia, nimirum impropriam. Vnde Augustinus præfatione in enarrationem Psalm. 31. *Si in omnibus peccata inueniuntur, remanet, vt non sint beati, nisi quorum remissa sint peccata. Hoc ergo Apostolus sic commendauit: Credidit Abraham Deo & reputatum est ei ad iustitiam. Et ei qui operatur, id est, de operibus præsumit, & eorum merito sibi dicit datam esse gratiam fidei, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Quid est hoc: nisi quod merces nostra gratia vocatur? Si gratia est, gratis datur. Quid est, gratis datur? gratis constat.* Ambrosius etiam Epistola prima, *Alia est merces liberalitatis, & gratiæ, aliud virtutis stipendium, alia laboris remuneratio.* Manifesta res est.

VI. Sed si in argumento propria merces intelligatur, tum vero concedimus consequentiam: at negamus antecedens. Nam hæc merces, quæ datur fidelibus à Deo, est merces improprie dicta: quia gratuita, id est, absque merito: Augustinus eodem loco, *Gratis constat. Nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum. Attenduntur opera tua, & inueniuntur omnia mala. Si quod debetur illis operibus Deus redderet, vtique damnaret: stipendium enim peccati mors. Malis operibus, quid debetur nisi damnatio? Bonis quid debetur? Regnum cœlorum. Tu autem in malis operibus inuentus es: si reddatur tibi quod debetur, puniendus es. Quid ergo fit? Non tibi Deus reddit debitam pœnam, sed donat indebitam gratiam.*

VII. Solutionem impugnant partim præscriptione, partim argumentis. Præscriptione Porsanus. Nunquam futurum quicquam certi, si subinde liceat metaphoras comminisci. Et citat Tertulliani 15. cap. 3. contra Marcionem, *Nullus status differentiarum, nisi proprietatibus appellationum consignetur.*

VIII. Respondeo, primo certum esse apud Theologos vtrumque: neque semper recurrendum ad metaphoras: neq; ab iis semper abhorrendum Nec dum definitum ab vtro plura sint incommoda. Itaq; ex præsenti necessitate capiendum consilium: & in omni disputatione primam curam esse, distinguendi homonyma.

IX. Nec vero contra Tertullianus, aut sensit, aut loquutus est. Atque adeo truncatum Porsanus induxit. Plenum vide, *Nullus status differentiarum, non nisi proprietatibus appellationum consignatur: quibus deficientibus, si quando, tunc* (ita commendauit Latinius) *Græca catachresis de alieno abutendo succurrit.* Vbi vides perspicue locum suum relictum figuris: & sensum esse, in constituendis quæstionibus, siue ponendo controuersiæ statu, vtendum esse propriis vocabulis, nec ad impropria deueniendum, nisi illis deficientibus.

X. Concedimus ergo nunquam futurum quicquam certi, si subinde liceat figuras comminisci: imo negamus vnquam licere figuras comminisci. Sed vicissim asserimus, nunquam futurum in disputando quicquam certi, si non liceat figurate dicta distinguere à propriis. Quid ergo? Nempe diligenter attendendum, & religiosè, quid quisque locus postulet: vt neque præfracta importunitas oggerat figuram commentitiam, neque peruersum præiudicium necessariam æque auersetur. Debent igitur Sophistæ, non in loco communi αἱρετῶς, sed euincere, nos hoc loco figuram fingere.

XI. Argumenta ergo videamus potius. A Porsano duo. Prius: Quæ verba nihil ponunt euidenter, aut impossibile, aut absurdum, ea sunt ad literam accipienda. At hæc verba nihil ponunt euidenter, aut impossibile, aut absurdum. Ergo ad literam accipienda.

XII. Respondeo: Primo, maiorem non esse vniuersalem, & absque exceptione. Nam Paulus illud de boue triturante, in quo ad literam exposito, nihil est, aut absurdum, aut impossibile, tamen interpretatur tropice. Et ipsi Papistæ, non exspectant hæc incommoda, vt ad allegorias diuertãt. Denique, si hoc axioma esset certum, nulla vnquam figura esset, nisi necessaria, quod esse alienum ab vsu, norunt quicunque Rhetores norunt. Et Tertullianus paulo ante laudatus, non simpliciter dixit catechresi locum esse, cum deficiunt propria vocabula, sed ἐν, nimirum cum consignandus status differentiarum.

XIII. Secundo, nego assumptum. Nam hîc illud est euidenter absurdum, euidenter impossibile, ex merito operum dari vitam æternam: quod vniuersa Euangelij doctrina impugnatur: vt necesse sit, vel figuram induci, vel ipsum sibi contradicere Spiritum sanctum, id est, doctrinam Euangelij non esse diuinam.

XIV. Alterum Porsani argumentum Merces hæc metaphorica infert absurdum. Videlicet aufert animos laboranti

XV. Sed hoc est falsum, & à mera calumnia. Nemo est enim, qui tantos vnquam animos attulerit ad pietatem, quantos, qui penitus persuasum habuit, suam salutem esse à mera Dei gratia. Quod vel vnius Pauli doceat exemplum. Contra potius, geminum inde est commodum. Vnum, quia distinguat mercenarios à filiis: illos, inquam, qui nihil boni præstare volunt, & se putant frustra pios esse, si non sit certum propositum lucrum; ab iis, qui eo ipso satis habent ad fungendum suum officium, quod sciant esse suum officium. Alterum, quod his ipsis addat animos, scientibus se saluatum iri bene operando: etsi per opera non mereantur salutem, quos animos auferret aduersa persuasio, propter peccatorum conscientiam. Adde tertium, quod ansa præcidatur inani gloriæ, quam à fiducia meritorum facile nasci Bellarminus agnouit. Itaque omnino intelligenda est merces metaphorica.

XVI. Tertium argumentum Bellarmini: Scriptura disertis verbis docet hanc mercedem dari operibus. Quid enim apertius dici potuit, quam *Voca operarios & redde illis mercedem?*

XVII. Imo reddi operibus, vbi dictum? Nam reddi operariis concedimus, negamus tamen inde sequi, reddi operibus, quantacunque sit perspicuitas. Primum, operarij nominantur ex necessitate parabolæ. Non sequitur autem, si in eo, vnde sumitur parabola, sint operarij: esse etiam in ea re ad quam parabola spectat: quomodo, nec, si pisces in nassa; pisces etiam esse in regno cœlorum, sed tantum aliquod piscibus simile, siue respondens. Paulus autem mercedem dicit imputari non operanti, sed credenti.

XVIII. Deinde, non si operariis, etiam operibus, quomodo donatiuum, etsi militibus donetur, tamen non militiæ. Hic vero non reddi operibus manifestum: alioquin inæqualibus operibus mercedem oporteret esse inæqualem: quomodo militiæ reddita stipendia varia sunt, pro tempore militiæ. At hæc parabola inæqualibus operibus proponit æqualem mercedem, quomodo inæquali militiæ æquale donatiuum. Sicut igitur donatiuum non est stipendium, ideoq; nec debitum, etsi detur militibus, sic neque hæc merces meritis est imputanda.

XIX. Dari tamen operibus probat Porsanus, vrgens verbum reddendi ἀποδιδόναι, Et addens ex ad Hebr. cap. 10 *Fidelis est, qui repromisit*: vbi notat dictum, non promisit, sed repromisit, quod sit, promisit dare mercedem ei, qui promisit opus facere.

XX. Sed τὸ ἀποδιδόναι, varie significare norunt, vel pueri. Suppponere meritum interdum nemo negat, vnde Eustathius dixit esse χρεωστικῶς δίδωμι. Sed vsurpati etiam sine merito facilis probatio. Primum enim significat restituere alicui id, quod eius aliquando fuerat. Qui sensus est Demosthenis, Oratione περὶ τῆς Ἁλοννήσου, distinguentis inter διδόναι, & ἀποδιδόναι. τί οὖν, inquit, αὐτῷ ἀμφίβολον, μὴ τοῦ δικαίου ὀνόματος χρησάμενον ἀποδοῦναι ὑμῖν. ἀλλὰ δωρεὰν δεδωκέναι, τοῦ ἀδίκου, Quid eius interest, non legitimo vocabulo, reddere vobis, sed alieno potius, dono dare? Non enim Demostheni mens, fuisse bene meritos de Philippo Athenienses, sed Athenienſium olim fuisse Halonnesum, itaque non dandam, quasi nouis, sed restituendam, quasi veteribus dominis. Φίλιππος ἄρχεται μὲν περὶ Ἁλοννήσου λέγων, ὡς ὑμῖν δωσείων αὐτὸς ὤν. ὑμῶν δ' οὐ φησὶ δικαίως αὐτὸν ἀπαιτεῖν. οὐ γὰρ ὑμετέραν ὄσαν, οὔτε λαβεῖν, οὔτε κατέχειν, *Primo sermone Philippus de Halonneso dixit, se daturum vobis tanquam suam: vos vero non iure à se reposcere: neque enim vestram se aut cepisse, aut tenere.* Hac eadem notione habemus Matth. cap. 22. ἀπόδοτε τοῖς Καίσαρος Καίσαρι, *reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Lucæ cap. 9. καὶ ἀπέδωκεν αὐτὸν τῷ πατρὶ αὐτοῦ, *& reddidit eum patri suo.* Nec alienum cum Lucæ c. 4. dicitur Christus reddidisse codicem ministro, à quo videlicet acceperat.

XXI. Alias aliter: & quidem vt nullum meritum supponatur. Matth. cap. 27. *Pilatus iussit* ἀποδοθῆναι, *reddi corpus* Actor. cap. 4. *Apostoli magna vi,* ἀπεδίδουν, *reddebant testimonium resurrectionis Domini Iesu.* Numerorum cap. 26. τοῦ Κυρίου ἐνετείλατο Κύριος ἀποδοῦναι τὴν γῆν τῆς κληρονομίας αὐτῶν κλήρῳ τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ. En tibi ἀποδοῦναι, pro Hebræo לתת נחלה Itaque Latinus Interpres, sic reddidit, *Tibi domino nostro præcipit Dominus, vt terram sorte diuideres filiis Israel.*

XXII. Quid? quod ἀποδιδόναι legimus, pro implendis promissionibus? Deuter. 23. ἐὰν δὲ εὔξῃ εὐχὴν Κυρίῳ τῷ Θεῷ σου, οὐ χρονιεῖς ἀποδοῦναι αὐτήν, *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere.* In Psalmis crebrum. Psalmo 20. τὰς εὐχάς μου ἀποδώσω, *Vota mea reddam.* Enimuero vota agnosco debita, postquam sunt promissa, sed debita tamen, non ex merito, sed ex sola promissione: neque enim fideles vouent sub conditione, *Facio, vt facias,* Itaque, voti redditio, non supponit meritum, sed tantum promissionem.

XXIII. Quare non est necesse meritum concludi, vbicunque audimus aliquid reddi. Et quid obstat quominus intelligamus reddi vitam æternam, quomodo reddenda erat Hallonesus Athenienſibus, quomodo redditus est patri suus filius: id est, quo sensu dicuntur reddi, quæ olim habebantur, postea amissa erant, & sicut ille dixit, *Vita me redde priori?* Nam & nos dicimur excidisse à vita per peccatum, vnde & salus di-

lus dicitur ἀποκαταστάσεις, Rursus, quid obstat, quo minus propter solam promissionem deberi dicamus, ac proinde reddi vitam æternam?

XXIV. Sed in repromittendo Porsanus ineptè acutus est. Nam primo Græce Paulus, πιστὸς ὁ ἐπαγγειλάμενος. At τὸ ἐπαγγέλλεσθαι simpliciter est promittere: ita etiam reddente alias Veteri interprete. Ad Roman. 4. ὅ ἐπήγγελται, *Quæcunque promisit, potens est facere* Ad Galatas. 3. τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται, *Semen cui promiserat.* Prioris ad Timoth. 2. γυναῖξιν ἐπηγγελμέναις θεοσέβειαν, *mulieres promittentes pietatem.* Et alias sæpe. Quid mea autē, si repromittendi verbum nonnihil faueret Porsano? Nam mihi autor idoneus Paulus est, non vetus ille, quisquis est, interpres.

XXV. Secundo, apparet ipsum veterem interpretem, repromittendi verbo vsum pro simplici promittendi, id est, etiam tum cum non agitur de promissione reciproca. Ad Hebræos 11. πιστὸν ἡγήσατο τὸν ἐπαγγειλάμενον, *Fidelem credidit esse eum, qui repromiserat.* Et 12. νῦν δὲ ἐπήγγελται, *nunc autem repromittit.* Deniq; ad Ephes. c. 1. πνεύματι ἐπαγγελίας, quod Latinus vertit, *Spiritu promissionis*, Hieron. commentans in eum locum dixit, *Signati estis Spiritu repromissionis Sancto.* Audiitne Porsanus Spiritum sanctum cadere sub meritum?

XXVI. Gregorius de Valentia nodum sperauit magis stringere: argumentatus non à mercede simpliciter, sed à mercede certis descripta circumstantiis. Si qua mercede, inquit, aliqua opera bona, secundum modum aliquem iustitiæ compensari debent, dubium non est, quin talia opera sint vere & proprie ex condigno meritoria eius mercedis. Sed bona opera iustorum, quatenus ex gratia, & charitate proficiscuntur, debent compensari secundum aliquem iniustitiæ modum, vita æterna. Ergo vere, & proprie sunt meritoria ex condigno vitæ æternæ. Maiorem probat, quia sic ei sit ante definitum meritum. Minorem vero, his locis præter iam enumeratos. Iacob. 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Poster. ad Timoth. 4. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex, non solum autem mihi, sed & omnibus qui diligunt aduentum eius,*

XXVII. Respondeo, Compensationem alias pro vno reddere aliud, vt pro afflictionibus solatium, pro labore quietem, pro bono malum, aut contra: alias propter vnum aliud, vt agrum propter depensum aurum. Iustitiam item aliam esse constantiæ, aliam permutationis. Illam iubere stare promissis, etiam propter solam promissionis rationem: & hæc tantum abest, vt meritum semper præsupponat, quod non potest non coniungi cum bono promittentis, testibus ipsis Papistis in definiendo merito: vt contra etiam cum damno promittentis possit consistere: vnde Psal. 15. *Qui iurauit in malum, & non mutat.* Quæ autem iustitia permutationis est: hanc demum inferre meritum alterius partis.

XXVIII. Itaq; argumentum si intelligat Gregorius de Compensatione priore, & iustitia constantiæ, conceditur quidem minor, sed negatur maior. Nam, quod attinet definitionem meriti ab eo positam, illa vero inutilis est, geminam ob causam. Primo, quia non descripsit meritum condigni, de quo nunc peculiariter agitur, sed meritum in genere, videlicet tā condigni, quam congrui. Sunt n. Gregorij totidem verba, *Hic vero meritum accipimus in bonam partem, potest autem illud generatim ita describi: Meritum est opus liberū, bonum, ad alterum aliqua ratione spectans, quod proinde secundum aliquē modum æqualitatis, siue iustitiæ, aliquo munere ab aliquo compensari debeat.* Generatim, inquit. Ergo ab ea definitione, cur speciatim concludit meritum condigni, potiusquam meritum congrui?

XXIX. Secundo, hæc ipsa, siue definitio, siue descriptio, non quamlibet iustitiam supponit, sed eam, quam diximus, permutationis. Nimirum propter opus bonum ad alterum aliqua ratione spectans. At iustitia constantiæ, interdum opus nullum supponit. Quare non potest ea definitio probare maiorem, quæ indefinite proponit aliquem modum iustitiæ, non determinate hunc modum, qui est propter opus bonum.

XXX. Iam vero si argumentum sit à Compensatione altera, quæ propter vnum reddat aliud, & iustitia commutatiua: concedetur maior, sed negabitur minor, id est, vlla esse fidelium opera, quæ hoc loco debeant à Deo compensari.

XXXI. Enimuero de Mercede nihil opus est eandem telam redordiri. Coronæ ratio eadem. Imo corona in ludis datur, non quod opus eam mereatur, sed tantum, quod sit promissa. Et hæc satis iusta fuit causa metaphoræ: nempe, vt eo nomine salus æterna significaretur. Nec vero qui suffert tentationem; coronam accipiet, idem est, ac si dicas, tentatio est meritum dignum corona: cum contra habeamus Pauli apophthegma ad Romanos 8. *Existimo, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Quid ergo? Nempe sensus erit compensatum iri tentationes corona illa, sed priore compensationis genere, vt his tentationibus illa corona succedat.

XXXII. Sed contra Bellarminus: Quod propter solam promissionem vere ac proprie debetur, nunquam id mercedis nomine appellari poterit, nisi conditio operis, & conditionis impletio interuenerit. Esset enim, & durissima, & intolerabilis catachresis, si quis donatiuum à rege promissum ex mera liberalitate, sine vlla conditione operis mercedem appellare vellet.

XXXIII. Respondeo, Augustino longe aliter visum. *Merces*, aiebat, *nostra gratia vocatur*, & explicabat, gratis dari, gratis constare: id est, nulli operi, ac proinde nulli conditionis impletioni deberi. Iudicent illam Iesuitæ catachresin quantum volent, duram: quantum volent, intolerabilem. Mouebit nos magis Augustini, & quidem præeunte Apostolo, authoritas, quam Iesuitarum petulantia. Ad hæc, argumentum est inutile. Nam conditio operis, impletio conditionis, non supponunt necessario meritum: vtraque enim esse potest, absque æqualitate: quæ si nulla sit, ne meritum quidem esse potest. Denique, etsi supponatur conditio operis: tamen impletio conditionis potest abesse. Et reuera abest in operibus fidelium. Nam hæc longe aliud est, quam conatus, siue etiam inchoatio: Fideles vero, & conantur bene agere, & inchoant, sed nunquam perficiunt, teste Paulo, ac propterea non merentur.

XXXIV. Sed enim Caluinus inuicto argumento probabat vitam æternam, non esse mercedem proprie. Nulla, proprie dicta merces, dici potest hæreditas. At vita æterna dicitur hæreditas: Ergo non est merces proprie dicta.

XXXV. Bellarminus respondet: cum in Scripturis vita æterna, non minus sæpe, forte etiam sæpius dicatur merces, quam hæreditas, vnde probabit Caluinus dici proprie hæreditatem, improprie mercedem, & non potius contra? Deinde, quid si vtrumque proprie possit? Datur ex promissione laborantibus, quod est mercedis: nec datur nisi filiis, quod est hæreditatis.

XXXVI. Sed Bellarminus nugatur strenue. Primo enim, quid tum, si tam crebrum vnum nomen esset, quam alterum, aut etiam crebrius mercedis? Quamquam neutrum concesserit Caluinus: qui negat vnquam dici mercedem ipsam æternam vitam. Sed quid tum tamen, si vtrumque concessero? Nam qui didicimus à Tertulliano, cum desunt appellationes propriæ: tum vsurpari catachresticas: inde etiam scimus, ne perpetuum quidem vsum obstare, quominus catachresis sit admittenda. Nam perpetuum esse oportet, si desit alius: quod si non obstet perpetuus: multo minus, aut frequens, aut frequentior.

XXXVII. Secundo, absurde dixit, vtrumque & hæreditatis, & mercedis nomen posse hîc proprie dici. Nam si proprie: necesse esset quæcunque, tum de mercede, tum de hæreditate vere dicuntur, eadem dici de vita æterna. At hoc est impossibile, propter manifestam contradictionem. Nam merces est, quæ debetur præcedenti merito: at hæreditas minime. Itaque eadem vita æterna deberetur, & non deberetur præcedenti merito: quod est absurdum.

XXXVIII. Ideoque absurdæ sunt consequentiæ Bellarmini. Non datur nisi filiis: ergo est proprie hæreditas: non datur nisi laborantibus: ergo est proprie merces. Ratio manifesta: quia filiis dari aliquid potest, propter merita, aliasve causas, cum hæreditas tantum propter filiationem. Et rursus laborantibus potest aliquid dari, non ex merito, teste illa Christi parabola.

XXXIX. Hoc exploso, duo iam supersunt: Vel, vt sit vtrunque, hæreditatis, & mercedis nomen improprium: vel saltem alterutrum. Si vtrunque: reuera enim nihil cogit alterutrum esse proprium: quandoquidem frequentissimum, eidem rei multas posse conuenire similitudines, ideoque metaphoras: & vero hæreditas proprie dicta, datur filiis proprie dictis: quomodo vita æterna futura est hæreditas solius Christi, qui solus est naturalis filius. Sed si vtrunque nomen sit figuratum: obtinemus, quod volumus: quia tum vita æterna merces erit, non tamen propterea meritis debita.

XL. Sin autem alterutrum duntaxat, nos vero facile obtinebimus mercedem potius dici improprie. Nam si proprie: ergo fideles proprie dicerentur mercenarij: quod quis ferat? Certe nunquam hactenus auditum. Cum tamē frequentissime dicantur, & filij, & hęredes: vnde facilius hæreditati proprietas vindicaretur: Sed improprietas meriti satis est.

CAP. VII.

De Proportione operum.

I. PRimo argumento à mercede non est admodum dissimile secundum, at minus apud Papistas celebre, ex iis locis, in quibus habetur, præmium cœleste dari hominibus, secundum mensuram, proportionemque operum, & laboris: ita enim ponit Bellarminus: & hinc, inquit, euidenter colligitur in præmio illo conferendo non haberi rationem solius promissionis, vel liberalitatis, vel indulgentiæ Dei, sed etiam dignitatis, & efficaciæ ipsorum operum. Sunt autem ij loci. Psalm. 61. *Reddens vnicuique secundum opera sua.* Matthæi cap. 16. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera sua.* Lucæ cap. 16. *Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Ad Romanos 2. *Thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius,* Prioris ad Corinth. cap. 3. *Vnusquisque mercedem recipiet secundum suum laborem.* Ad Galatas 6. *Quæ seminauerit homo hæc & metet.* Apoc. vlt. *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua.*

II. Huic argumento oppositam geminam solutionem Bellarminus impugnat. Vnam, opera mereri præmia in hac vita: alteram, bonis operibus reddi tanquam signis fidei. Viderit ille, vnde habeat. Nos aliter respondemus: distinguentes mensuram proportionemque nimirum vel operum ad opera, vt mercedis ad mercedem; puta, vt opera bona ad opera mala: ita vitam æternam ad damnationem: Vel operum ad mercedem, sicut opera mala ad damnationem, ita bona ad vitam æternam. Illo modo significari diuersum esse exitum bonorum & malorum: nempe, vt neq; omnes aut damnentur, aut saluentur: neq; boni damnentur, mali saluentur, sed boni saluentur, mali damnentur. Aut altero modo, denotari, non tantum diuersos esse exitus, sed etiam eodem modo proportionatata bona opera vitæ æternæ, quomodo mala morti.

III. Et posteriori quidem sensu negamus vnquam in Scriptura doceri proportionem operum, ad mercedem esse eandem. Hoc facile probatur. Primo, quia non est eadem proportio stipendij ad opera, quæ χαρίσματος. At teste Paulo ad Romanos 6. *Stipendia peccati, mors: donum autem Dei vita æterna.* Secundo: si eadem proportio: Ergo, quomodo nemo damnatur nisi ex operibus: nemo etiam saluaretur nisi ex operibus: at contra Paulus ad Ephes. 1. *Gratia estis seruati per fidem: & hoc non ex vobis: Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.*

IV. De locis allatis in confirmationem, sic respondeo. Primo illum ex Luca, *Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis*, non esse ad rem. Nempe hunc non vno modo exponi testantur etiam interpretes Papistæ: Maldonatus, Iansenius; alij. A quibusdam ergo de iudicio humano: vt qui se seueriorem præbuerit in iudicandis fratribus, idem sciat se seuere ab aliis iudicandum. Cui expositioni consentire videntur hæc verba: *dabunt in sinum vestrum.* Alij tamen malunt referre ad iudicium

cium diuinum, eum, qui iudicauerit de fratre, à Deo etiam seuere iudicandum.

V. Hæc cum ita sint, si placet prior sensus de humano iudicio: manifestum est, alienum esse locum ab hac nostra controuersia, quæ merita non considerat, nisi relata ad Diuinum iudicium. Sin autem non placeat: primo, est tamen ambiguus locus: ideoque incerta inde conclusio: nisi prius illa tollatur certis aliis argumentis ambiguitas: quod nondum quisquam fecit, quod sciam. Deinde: ne sic quidem quicquam promotum erit. Nam iudicandi verbum non sumitur indefinite, & in vtramque partem, sed determinate in malam, scilicet pro condemnatione, vt patet, *Nolite iudicare, ne iudicemini*. Nam, quis vnquam ita exposuit: Nolite absoluere, ne absoluamini; Rursus ergo præter controuersiam locus est, disputamus enim de meritis ad salutem; non de meritis ad damnationem: nam hæc certa esse, nulli nos negamus.

VI. Rursus, illum ex 1. ad Corinth. existimamus remouendum. Patet enim non agere de meritis, quorum varij sunt exitus. Quandoquidem vtrisque operibus positis, tamen salutem proponit. Diserte, *Si cuius opus manserit, quod superædificauerit, mercedem accipiet, si cuius opus exustum fuerit, damnum faciet: ipse vero seruabitur.* Non sunt re diuersa, mercedem accipiet, &, *ipse seruabitur.* Itaque vtrumque Paulus asserit mercedem accepturum, siue seruatum iri. Non est igitur proportio, quam diximus, hæc enim exigit, vt alter seruetur, alter damnetur.

VII. Qui reliqui sunt loci, non ad hanc, sed ad priorem proportionem pertinent. Id doceat nos Paulus ipse: qui, quo loco dixit, redditum iri vnicuique secundum opera, addit statim explicationis gratia: *Iis quidem qui perstantes, boni operis gloriam & honorem & immortalitatem quærunt, vitam æternam: Rixosis vero, & veritati quidem non obtemperantibus, obtemperantibus autem iniustitiæ, excandescentia & ira. Afflictio, & angustia aduersus omnem animam hominis perpertantis malum, tum Iudæi in primis, tum etiam Græci. Gloria vero & honor & pax cuiuis operanti bonum, tum Iudæo in primis, tum etiam Græco.* Quinetiam in Apocalypsi, quod Latinus interpres dixit *secundum opera sua*, Græce scripsit Ioannes non κατ' ἔργα, sed ὡς τὸ ἔργον αὐτοῦ ἔσται. Significatur ergo talem futuram mercedem, qualia opera erunt, nimirum bonam, si bona, malam, si mala, sed non propterea, sicut meritis malorum operum debetur mors; sic meritis bonorum deberi vitam.

VIII. Quod si à prioris generis proportione ducatur argumentum: tum negamus inde colligi, rationem haberi à Deo dignitatis siue efficaciæ ipsorum operum. Neque enim necesse est, si detur vita æterna iis, qui bona opera fecerint, & mors iis, qui mala, ideo merita significari. Exemplum dabo manifestum & familiare, ab aduersariorum doctrina de Baptismo. Nam illi audacter dicent: Qui baptizatus fuerit, saluabitur: qui non fuerit baptizatus, damnabitur. Atqui nemo est, quod sciam, qui baptismum posuerit in meritis vitæ æternæ: alioquin infantes mererentur, cum baptizantur, aut peccarent, cum non baptizantur: quod est absurdum.

IX. Gregorius huc facit in Psalmum pœnitentialem 7. *Misericordia Domini ab æterno vsque in seculum super timentes eum. Quod si illa sanctorum felicitas misericordia est, & non meritis acquiritur, vbi erit quod scriptum est: Et tu reddes vnicuique secundum opera sua? Si secundum opera redditur, quomodo misericordia æstimabitur? Sed aliud est secundum opera reddere, & aliud propter ipsa opera reddere. In eo enim, quod secundum opera dicitur, ipsa operum qualitas intelligitur: vt cuius apparuerint bona opera, eius sit & retributio gloriosa. Illi namque beata vita, in qua cum Deo, & de Deo viuitur, nullus potest æquari labor, nulla opera comparari, præsertim cum Apostolus dicat, Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

X. Sed instant & probant intelligenda esse merita. Scriptura, inquiunt, loquitur eadem phrasi de bonis & malis operibus. Ergo si bona opera non sunt merita vitæ æternæ: ne mala quidem, mortis æternæ. At, quis Christianus affirmare audeat, homicidio, adulterio, periurio, aliisq; id genus sceleribus non deberi supplicium per se, qua talia scelera sunt?

XI. Respondeo, negari consequentiam. Et causam ostendo, quod alia longe ratio sit bonorum, alia malorum operum. Patet: quia si eadem ratio esset, tum quomodo dictum: Qui in vno delinquit, fit omnium reus: ita dicendum foret, qui vnum bene facit, censetur omnia impleuisse: quod est absurdissimum, & implicat contradictionem. Rursus: si vnum quodlibet peccatum sufficit ad damnationem: ergo vnum quodlibet opus bonum sufficeret ad salutem: quod rursus alienum est à Theologia. Denique Paulus diserte: *Stipendium peccati, mors: donum autem Dei vita æterna*, ad Roman. 6.

XII. Quod autem vtrinque eadem phrasis sit, nihil habet difficile. Hæc enim phrasis non peculiariter significat merita: sed generalius, consequentiam. Sic ergo dicimus, animam inesse stirpi, & inesse etiam animali: tamen non eodem modo concludimus animam stirpi inesse & animali. Item & hominem esse animal, & pecudem esse animal: nec tamen idem genus animalis. Ita etsi verum sit proponi præmium tum bonis, tum malis operibus: non est tamen necesse, eandem esse vtrinque præmij rationem, sed sufficit illud simpliciter, vtrinque præmium esse propositum, quomodo sufficit stirpi aliquam esse animam.

XIII. Ad eum modum audimus à Christo, Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Et hîc eadem phrasis vsurpatur, tum de fide, tum de infidelitate. Et infidelitatem omnes agnoscunt esse peccatum: ac proinde per se meritum damnationis. At fidem ne in meritis computemus, obstat Apostolus, qui ne in operibus quidem patitur computari: his illam opponens, in hoc de salute argumento.

CAP. VIII.

De ratione obtinendæ vitæ.

I. TErtium argumentum deducit Bellarminus ab iis locis, qui ita vitam æternam testantur reddi bonis operibus, vt ipsam rationem, cur detur vita æterna, in operibus ponant. Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum ab origine mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare*, Item: *Quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Apocal. 7. *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, ideo sunt ante thronum Dei.* Argumentum est huiusmodi. Si ratio, cur detur vita æterna, ponitur in operibus: Ergo opera sunt merita condigna vitæ æternæ. Probatur antecedens, quia particulæ, enim, quia, ideo, sunt omnes causales.

II Sed rationis nomen nimis late patet, quam vt non sit distinguendum. Interdum causam designat propriam, vnde sit effectus, aliquando autem consequentiam quamcunque, id est, nexum antecedentis & consequentis. Vt, si dicat Astrologus hoc temporis noctem esse, quia Sol sit sub Horizonte, tum rationem reddet à propria causa noctis. Sed, si dicat, hoc temporis noctem esse, quia appareant stellæ: tum hæc quidem ratio est legitima: sed non indicat tamen causam, à qua sit nox. Sic Medicus alius dicet, hunc ægrotare, quia nimium habeat calorem internum: alius vero, quia palleat. Infinita sunt huiusmodi.

III. Si rationem Bellarminus posteriori notione vsurpat, negatur consequentia argumenti. Nam quemadmodum non est lumen stellarum causa noctis, etiam si bona sit ratio noctem esse, quia stellæ luceant, sic nulla ratiocinationis necessitas efficiet, opera esse meritum vitæ æternæ, etiamsi legamus dari vitam æternam cuiquam, quia opera bona præstiterit. Quod puto esse per se manifestum, & habet in promptu exemplum à Paulo, qui, *misericordiam*, inquit, *Dei consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate*, 1. ad Timoth. 1. An tibi videtur, an cuiquam videtur ignorantia in incredulitate, esse meritum, & quidem condignum, misericordiæ? Et tamen audis ὅτι, *quia*.

IV. Sin autem argumentum est à priori rationis notione, tum negatur antecedens. Falsum est enim vsquam Scripturam docere, opera esse rationem, id est, proprie causam dandæ vitæ æternæ. Contra enim docet, talem causam esse gratiam, cui cum operibus conuenire non potest.

V. De locis respondeo, primo secundum tertiumque male citari. Nam secundum violatum ab interpret. Latino, addita particula, *quia*, quæ in textu Græco nulla est. Lucas Brugensis, *Quia, non legitur aut Græce, aut Syriace: decetque eius omissio, & sermonis contisio, maiestatem Domini: seruo enim Dominus omnis monosyllabus est.* Cur ergo hanc particulam vrgeat?

VI. Sed in altero propria fraus est Bellarmini, truncantis locum. Integrum lege, *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbarunt eas in sanguine agni: ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius.* En tibi, non vnam causam, quam solam exscripsit Bellarminus, reditum à tribulatione, sed etiam alteram, lotas stolas in agni sanguine. *Quia* (inquit Ambrosius) *animæ electorum, quæ antea erant nigredine peccatorum inuolutæ, per redemptionem sanguinis Christi candorem munditiæ assumpserunt.* Haimo, *Ac si diceretur, propterea ad numerum pertinent electorum: propterea thronus Dei, propterea templum Dei sunt, propterea in templo Dei sanctam illi exhibent seruitutem, quia talibus vestimentis induti, quia sanguine agni videntur abluti.*

VII. In reliquis, dico significari rationem non primi generis, sed secundi. Nam quod Bellarminus vrget particulas, facile negotium est. Causales esse particulas fateor, sed has dico significare omne genus causarum, etiam eas à quibus oritur non tam res ipsa, quam rationis consequentia: ac proinde lato ambitu complecti, & occasionem & causam sine qua non, & signum, & coniecturam, & si quæ sunt aliæ. Prima Ioannis 2. *Scripsi vobis, Patres, quoniam nostis eum, qui à principio est. Scripsi vobis adolescentes, quia fortes estis.* Prioris ad Timoth. 1. *Misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Et post, *Ideo misericordiã consequutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam.* Matth. 16. *Serenitas erit rubet enim cœlum.* Infinita sunt huiusmodi, & si prolixius colligam, rem non necessariam facturus sim.

VIII. Instat Bellarmin. At si ita licet omnia eludere, inquit, nullæ erunt formæ loquendi, quibus sententias nostras explicare possimus.

IX. Imo, inquam ego, si non licet ambigua distinguere, nullæ erunt formæ loquendi, quibus non abutantur Sophistæ ad veritatem euertendam. Et vero quis tulerit Gracchos de seditione querentes? Aut quis ignorat, quam sint exercitati Papisticarum Scholarum Sophistæ in torquendis manifestissimis quibusque, & comminiscendis nouis, iisque violentissimis distinctionibus? Mirum ni ad eos delatum sit summum in disputantes imperium, vt omnibus pro arbitrio interdicant, sibi contra permittant, quicquid commodum visum fuerit.

X. Sed fingamus, inquit, voluisse Christum ostendere, opera misericordiæ esse veram causam, cur iustis hominibus in iudicio reddenda sit merces salutis æternæ: quibus, quæso, verbis, breuius, apertius, commodius id explicare potuisset, quam illis, *Possidete regnum: esuriui enim, & dedistis mihi manducare.*

XI. Ridiculum, inquam. Quasi Christo non potuissent illa ipsa verba in mentem venire, quibus nunc est vsus Sophista. Nam ecce dixit Sophista id, quod fingi vult: aliis verbis: & dixit apertius, commodius. Nam nos, qui contendimus illa Christi verba non id sonare necessario, quod ille vellet obtinere; & obtineret profecto, si nos tam essemus ad fingendum procliues, quam ille vellet: nos, inquam, non possumus ambigere, quin voluerit opera esse vere merita vitæ æternæ. Et nos existimabimus tam fuisse infantem Christum, tam indigum verborum, vt eadem verba non potuerit exprimere? Quantum huic, quæso, homini, concedemus cerebri? Nisi forte, suum illud breuius vrgeat, & breuitatem constituat in syllabarum compen-

compendio: quomodo illi breues erant, quorum breuitatem ridet Comicus, cum Coniam dicerent.

XII. Quanquam illa ipsa Christi verba, si quid habent obscuri, id est à versione Latina; quæ possidere dixit, paulo latius. Et hoc verbo abutuntur Sophistæ: qui possideri sciunt non illa tantum quæ dono, sed etiam quæ pretio depenso nostra fiunt. At Christus dixit κληρονομήσουσι; quod verbum significat non *possidere* simpliciter, sed hæreditatis iure: quod ius nulla mercede, nullo merito acquiritur, nec puto facile id verbum occurrere pro possessione acquisita propriis meritis.

XIII. Sed esse tamen illas particulas vere caussales, cum agitur de bonorum operum præmiis, probat ex 2. ad Corinth. 4. *Quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* ad Galat. 6. *Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Ad Philipp. 1. *Cum timore & tremore salutem vestram operamini.*

XIV. Sed nego in primo loco, *operari*, idem esse quod mereri. Argumentum certum: quod, quæ tribulationes hîc dicuntur operari immensum pondus gloriæ, negantur alibi esse condignæ eadem gloria, ad Romanos octauo. Itaque κατεργάζεσθαι generaliter interpretandum *efficere*: quomodo cuiuscunque generis caussæ vis, ita solet exprimi. Vt ad Romanos 4. ὁ νόμος ὀργὴν κατεργάζεται: *Lex iram operatur.* Quinto, ἡ θλῖψις ὑπομονὴν κατεργάζεται. *tribulatio patientiam operatur.* Posterioris ad Corinthios 7. ἡ κατὰ Θεὸν λύπη μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεται: *Quæ secundũ Deũ tristitia est pœnitentiam in salutem stabilẽ operatur.* Iacob. 1. τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως κατεργάζεται ὑπομονήν. *Probatio fidei vestræ patientiam operatur.* Et vero Syrus interpres hoc loco reddidit מטיב, quo verbo *præparatio* significatur.

XV. In tertio loco, ἐργάζεσθαι σωτηρίαν eodem modo dicitur, quo solent Græci, ἐργάζεσθαι γῆν: vnde Geneseos secundo, ἔθετο αὐτὸν εἰς τὸν παράδεισον τῆς τρυφῆς ἐργάζεσθαι αὐτόν. Et Apocalyp. 18. ὅσοι τὴν θάλασσαν ἐργάζονται. Nam operari terram, operari paradisum, operari mare, non est ipsam terram, aut paradisum, aut mare efficere, sed occupare se in iis, quæ pertinent ad terram: paradisum, & mare. Similiter ergo, operari salutem: in iis occupari, & laborare, quæ pertinent ad salutem: quod quidem potest fieri, vt mereamur tamen salutem.

XVI. Restat secundus locus, in quo est *metere vitam æternam.* non difficilis. Quia terminos necesse est non proprie, sed figurate intelligi. Nam proprie oportet messem eiusdem esse definitionis cum semente, vt triticum cum tritico: non ex filigne triticum. At hîc non potest eadem definitio esse operum bonorum, & vitæ æternæ. Figuræ autem, satisfacit proportio, quam diximus, secundi generis, nimirum vt reddatur cuiq; secundum opus suum: id est, ita vt spiritualia respondeant spiritualibus: carnalia carnalibus: non pro meritis, sed pro qualitate operum.

CAP. IX.

De retributione iustitiæ. De vita promissa operibus. De dignitate. De acceptione personarum.

I. QVartum argumentum Bellarmini est ab his locis: qui docent vitam æternam reddi ex iustitia. Posterioris ad Thessalonicen. 1. *Gloriamur in Ecclesiis Dei, pro vestra patientia & fide in omnibus persequutionibus vestris & tribulationibus quas sustineis, in exemplum iusti iudicij Dei. Si tamen iustum est apud Deum, retribuere tribulationem his qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiem.* Post. ad Tim. 4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Ad Hebr. 6. *Non est iniustus Deus vt obliuiscatur operis vestri.* Iacob. 1. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ,* Apocalyps. 2. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo coronam vitæ.* Prouerbiorum 19. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Prioris ad Corinth. 9. *Nescitis quia hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis.* Posterior. ad Tim. 1. *Certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem.*

II. Nimirum hinc argumentum ita est: Quod ex iustitia redditur, id redditur merito. At vita æterna redditur ex iustitia: ergo merito. Probatur minor: primo, quia iustum dicitur apud Deum, qui ipse iustus est: secundo, quia dicitur corona, & brauium: tertio, quia fœneratur Domino, qui miseretur pauperis: quarto, quia depositum dicitur. Porro iniuriam faceret, qui mutuum non redderet, vel brauium vincenti non daret: vel depositum non restitueret.

III. Respondeo: iam ante in primo argumento satisfactum esse Gregorio de Valentia, qui, quod in nomine mercedis videbat esse leuiculum, hac iustitiæ mantissa voluit supplere. Itaque nunc tantum perstringam. Ex iustitia redditur: nimirum Dei, quia iustus sit Deus: non fidelium, quia iusti sunt fideles. Itaq; non ex merito.

IV. Probationum aliæ fideles comparant infidelibus: & hæ faciles, iam consideratæ. Vtrisque enim retributio ex iustitia, sed non eodem modo: quia aliis ex iustitia constantiæ, propter promissionem: aliis ex iustitia distributiua, propter merita peccatorum. Ideoque Deus iustus iudex: quia iuste discernit hos ab illis, vt vtrisque tribuat secundum opera.

V. Aliæ non comparant, sed absolute fidelibus pollicentur. Sic corona promittitur & brauium: apud Paulum ad Timotheum, & Corinthios, & apud Iacobum, & in Apocalypsi. Sed eadem ratio est, quæ paulo ante mercedis fuit. Sunt enim loquutiones metaphoricę, non propriæ: ideoque non possunt meritum proprie dictum inferre. Censendæ ergo, non ex vsu vulgari coronæ aut brauij, sed ex eius natura rei ad quam transferuntur significandam. Quare cum vniuersum Euangelium operum merita auersetur, necesse est meritum, aut nullum nominari, aut καταχρηστικῶς vsurpari.

VI. In deposito, quis non deprehendat Sophisticem? Nam certe depositum proprie meritum, aut mercedem non significat, sed id, cuius nos cum simus domini, apud alium interim deposuimus: tandem repetendum; & quidem ipsum, non aliud. At primo meritum non ipsum repetitur, sed aliud pro ipso: deinde vitam æternam nemo nostrũm reposuit apud Deum: Itaque ne repetere quidem potest: denique non eramus eius vitæ domini: imo ab ea excideramus: nec poteramus repetere, donec iure promissionis gratuitæ, facta sit nostra. Itaque depositum nominari non potest, nisi καταχρηστικῶς: ex hac tantum similitudine, quod cum nostra sit, non tamen apud nos, sed est apud Deum; & quidem certo reddenda: quomodo depositum, quamdiu depositum, non est in potestate domini: etsi certo futurum tandem. Ratio autem dominij non explicatur, itaque aliunde petenda.

VII. Et tamen, quid obstat quominus & coronam, & brauium, & depositum dicamus esse fidei? Nam hi quidem loci, de operibus nihil habent necessarium. Imo Paulus *Fidem seruaui.* Et tentationes Iacobus diserte dicit probationem fidei operari, δοκίμιον τῆς πίστεως. Si vero fidem ponimus, operũ merita excludimus necessaria consequentia: nisi Paulo nimium aperte contradicamus. Obtinetur ergo corona fidei, brauium fidei, depositum fidei: non vero meritorum, non operum.

VIII. Qui dat pauperi, fœnerari Deo, concedo: Sed nego propterea mereri: Imo propterea dico non mereri. Nam fœnus non est meritum: si enim esset, esset etiam iustum, & si iustum, non prohiberetur à Deo. Est autem prohibitum: ergo non est meritum. Quod si est, tum vero Scriptura fœnoris nomine non potest significare apud Deum aliquid nos mereri: Contra potius, à Deo nos accipere, quod tamen non meremur. Itaque huius fœnoris naturam explicans nobis Christus Matth. 19. *Quisquis reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut liberos, aut agros caussa nominis mei, centuplicia accipiet, & vitam æternam* κληρονομήσει *hæreditatis iure possidebit:* Vbi nota tum illud, *Centuplicia accipiet,* tum hoc, κληρονομήσει, vtroq; enim excluditur meritũ condigni. Prius proportionem negat, siue potius æqualitatem, ideoque condignitatem: alterum autem etiam meritum, quia hæreditatis ius non acquiritur meritis.

IX. Non obliuisci Deum operis, quid habet vitium? Namne ille quidẽ obliuiscitur, qui compensat ex gratia. Et ille non iniustus, qui constanter manet promissis. Vtrumq; Deus, etsi nulla sint merita.

X. Quintum argumentum Bellarminus habet ab his locis, Matthæi 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Omnis qui reliquerit domum, vel patrem, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Prioris ad Timotheum 4. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ.* Iacob. 1. *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Hinc ita colligit. Vita æterna promittitur operibus, at promissio facta cum conditione operis, non solum debitã facit rem promissam, sed et facit, vt qui opus impleuerit, meruisse dicatur rem promissam, eamque, vt mercedem iure suo exigere possit. Sic formo: Quisquis implet opera, quibus promissa est vita æterna, is meretur ex condigno, at fideles implent. Ergo merentur ex condigno.

XI. Respondeo. Primo, negatur minor. Nemo enim fidelium non est peccator, itaque nemo implet opera, quibus promittitur vita æterna. Cum autem promittitur merces operaturo, id est, impleturo conditionem additam promissioni, & tamen datur etiam non implenti, tum qui accipit non potest dicere se mereri, sed accipere duntaxat ex gratia. Vt si quis conductus ad vineæ culturam, in denarium diurnum, tamen vineam non coluit, aut male coluit, huic si redditur denarius, tum ille nullo pacto meruit. At qui tales sunt omnes fideles: Itaque tenentur precari, *Dimitte nobis debita nostra.* Quare non merentur.

XII. Secundo, maior non est vniuersalis, quia potest promissioni addi cõditio, cuius nulla sit proportio ad mercedem, vt si rex venienti ad se polliceretur auri vim magnam, nemo tam est alienus à sensu communi, vt dicat eo quod venerit, meritum esse ex condigno. Ratio, quia defectus est proportionis. Si ergo poneremus vitam æternam, promissam, non simpliciter operibus bonis, sed diserte his operibus, quæ præstantur à fidelibus: id est, vt loquuntur Papistæ, si vita æterna esset promissa facientibus quod in se est, tamen nulla ratio bona concluderet meritum ex condigno.

XIII. Rursus potest promissio addi conditioni operis iam debiti. Vt si quis seruo promittat, si sit frugi, libertatem: tum libertatem ille non merebitur ex condigno: quia omnes serui tenentur esse frugi. Itaque vsu fit, vt non omnes seruos frugi, domini manumittant, sed tantum vnum, aut alterum pro arbitrio: deberent tamen omnes, si qui frugi sunt, merentur ex condigno.

XIV. Hæc cum ita sint, nihil est difficile in locis citatis. Primum enim nullus probat assumptum, itaque, cum hoc sit falsum, conclusio nulla est. Secundo, probant duntaxat promissionem factam esse operantibus, sed non probant opera esse condigna, id est, aut non alio iure debita, aut perfecta, id est, qualia supponuntur in conditione. Itaque, ne maiorem quidem fulciunt.

XV. Sextum argumentum his locis nititur. Sapient. 3 *Deus tentauit eos, & inuenit dignos se.* Posterioris ad Thessalon. 1. *Vt digni habeamini regno Dei, pro quo patimini.* Lucæ 20. *Qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis,* Apoc. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Syllogismus: Quicunque dignus est præmio, meretur præmium. At qui bona opera faciunt, digni sunt præmio, ergo merentur. Probatur maior: Luc. 10. *Dignus est mercenarius mercede sua.* At ante probatum est, idem esse, dignum esse, & mereri.

XVI. Respondeo: dignum esse, vel ex operibus, vel ex gratia. Si dignum dicas ex gratia, negatur maior: quia opponuntur directe meritum & gratia. Nec verum est antea probasse Bellarminum idem esse, dignum esse & mereri: qua de re actum c. 3.

XVII. Sin vero dignum dicas ex operibus; distinguam opera in perfecta, & imperfecta: illa, vt dixi talia, qualia esse debent, ex formula conditionis: ista, qualia fiunt à fidelibus adhuc sub peccato gementibus. Illo operum sensu conceditur argumentum vniuersum, sed negatur esse ad thesim: nempe, quia non concluditur, quemquam esse, qui eiusmodi faciat opera: non esse autem, alias est à nobis disputatum. Sic autem intelligitur operarius dignus esse sua mercede; nempe qui vere operarius sit; nec tantum incho

inchoet, sed etiam absoluat opus: nam qui tantum inchoat, is non meretur.

XVIII. Sin loquamur de operibus, non tanquam idea Platonica, cuius substistentia nulla extra definientis cognitionem: sed qualia sunt, esseue possunt, quæ exercentur: tum vero negamus, qui ista opera faciunt, esse dignos præmio; hac quidem dignitatis notione, cuius mensura siue fundamentum sit in operibus. Ratio certa ex demonstratis. Quia nullus peccator sic potest mereri vitam æternam. At omnes fideles sunt peccatores, nullo prorsus dempto. Neque vero dignitas illa, quæ in citatis locis nominatur, describitur ex operibus: & alii loci necessario cogunt intelligi, ex gratia. Itaque argumenti vis nulla.

XIX. Septimum argumentum ab istis deducitur Ad Rom.2. *Non est acceptio personarum apud Deum.* Ad Galat.2. *Deus personas non accipit.* Prim. Petr.1. *Si patrem inuocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicat secundum vniuscuiusque opus.* Actorum decimo. *In veritate comperio, quod non est personarum acceptio apud Deum.* At acceptio personarum, inquit, est vitium contrarium iustitiæ distributiuæ, cum videlicet iudex dat præmium sine meritis: aut maius præmium minoribus meritis: vel contra. Deus igitur in retributione præmiorum merita considerat, & pro meritorum diuersitate, vitæ æternæ mansiones assignat. Itaque Augustinus, Epist. 46. *Si non sunt merita, quomodo iudicabit Deus hunc mundum?* Sic erit argumentum: Quicunque præmium distribuit sine meritis, est acceptor personarum. At Deus non est acceptor personarum. Ergo Deus præmium vitæ æternæ non distribuit sine meritis.

XX. Sed hoc argumentum non minus inutiliter hodie torquetur à Papistis, quam olim à Pelagianis, quorum non erat dissimilis caussa. Respondeo, maiorem non esse vniuersalem: sed veram duntaxat de præmio dando secundum iustitiam distributiuam: at non secundum gratiam. Euidens argumentum: quod inæqualiter laborantibus in vinea, sub vesperam æquale præmium redditur: quod non debuit ex iustitia distributiua. Necesse tamen est in Deo vitium non esse, ac proinde neque acceptionem personæ. Si igitur omnis acceptio personæ, est, quum in iustitia distributiua datur præmium sine merito: vel inæqualibus meritis æquale: & tamen inæqualibus meritis tribuendo æquale præmium vitæ æternæ, non admittitur προσωποληψία: omnino necesse est, distributionem præmii in vita æterna, non pertinere ad iustitiam distributiuam. Quod si verum, concidit argumentum Bellarmini, falsaque conclusio Deum merita considerare.

XXI. Sic Augustinus Pelagianis olim satisfaciebat contra duas Epistolas, lib.2.c.7. *Acceptio personarum ibi recte dicitur, vbi ille, qui iudicat relinquens caussæ meritum, de qua iudicat, alteri contra alterum suffragatur, quia inuenit aliquid in persona, quod honore, vel miseratione sit dignum. Si autem quispiam duos habeat debitores, & alteri vellet dimittere debitum, alterum exigere: cui vult donat, sed neminem fraudet: nec acceptio personarum dicenda est, quando iniquitas nulla est.*

XXII. Et fatemur tamen non posse iudicari mundum à Deo, si nulla essent merita: quod Augustinus voluit: sed meminisse iubemus Bellarminum, non agi nunc de meritis in genere: sed de meritis vitæ æternæ. Ad iudicandum autem mundum sufficiunt merita mortis: tum, vt damnentur infideles ex merito: tum vt saluentur fideles ex gratia. Nam gratia præsupponit peccata: ac proinde merita damnationis.

CAP. X.

Rationes Papistarum extra Scripturam.

I. HActenus è Scripturis: nunc vndecumque Bellarminus: Si opera bona fidelium, sunt vera iusta, & satisfaciunt legi diuinæ, & iustificant hominem: ergo merentur vitam æternam. Ratio consequentiæ: quia potissima ratio, propter quam impugnantur merita, hæc est, quod omnino iustorum opera dicantur esse peccata. Antecedens autem probasse se dicit Bellarminus libro quarto.

II. Sed nos negamus antecedens. Ad confirmationem: primo dicimus non hanc solam caussam esse, quam ille notat: sed etiam aliam: nimirum, quod præter ea quæ fiunt à fidelibus bona, multa fiant vere mala: ob quæ sola, deberetur eis mors æterna; qualiacunque reliqua essent. Quia, qui peccat in vno, fit omnium reus: vnde impossibile fit, vt quæ illi bona faciunt, eos iustificent.

III. Deinde falsum est à Bellarmino vnquam esse demonstratum, opera fidelium talia esse, qualia describit: quod partim factum est manifestum ex opposita disputatione nostra de Perfectione iustitiæ: partim constabit, cum de Iustificatione disputabimus, Deo dante. Itaque hæc ratio Bellarmini mera fuit φλυαρία, & petitio principii.

IV. Secundam rationem Porsanus contraxit in Soritem. Vbi promissio, ibidem obligatio est. Vbi obligatio, ibi debitum, Vbi debitum, ibi ius. Vbi ius, ibi vera iustitia. Ergo Deus debet mercedem ex iustitia: eo quod ipse se obligarit promittendo.

V. Retexo gradatim. Vbi, inquit, promissio est, ibi obligatio. Concedo sane, inquam: ita enim vsus obtinuit. Pergit. Vbi obligatio, ibi debitum. Concedo rursus: sed distinguendo. Est enim debitum, quicquid aliquo pacto debetur. Debetur autem aliquid, alias ex sola promittentis constantia exque vi solius promissionis: alias, ex merito eius cui facto promissio est. Rursus. Vbi debitum, ibi ius: Esto; sed tale ius, quale debitum.

VI. Hactenus nihil incommodi. Sed vbi ius, ibi vera iustitia. Nec hic quidem. Nam rursus distinguo: Est enim iustitia eius, qui promisit: est & iustitia eius, cui promissum est. Illa sequitur ex debito priore: hæc vero ex posteriore: non contra illa ex posteriore, hæc ex priore. Et vtraque tamen non tantum iustitia est; sed etiam vera iustitia.

VII. Denique: ergo Deus debet mercedem ex iustitia; eo quod ipse se obligarit promittendo. Quis abnuat? Sed nos disputamus de merito: & quidem condigni. Hoc autem meritum nos deduci asserimus, non ex quacunq; iustitia; sed ex iustitia eius, cui datur merces: seu mauis, cui facta est promissio. Negamus vero ex iustitia sola eius, qui promisit. Exempli gratia. Promisit Deus baptizatis salutem: ergo debet. At infantes baptizantur: ergo & his baptizatis debet. Si debet, ergo ex iure: si ex iure, ergo ex iustitia; eo quod se obligarit promittendo. An etiam ex meritis? Viderit Porsanus. Nos sane nondum quenquam vidimus, qui Baptismo infantium meritum vllum assignaret. Nihil ergo promouet qui concludit, deberi mercedem ex iustitia.

VIII. Porro obligari Deum non nostris meritis, sed sola sua fide: ideoque iustitiam, qua nos seruat, intelligendam esse eius iustitiam, non nostram, discant Papistæ: ex Augustini serm.16. de verbis Apostoli, *In his, quæ iam habemus, laudemus Deum largitorem: in his, quæ nondum habemus, tenemus debitorem. Debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo. Aliter enim dicimus homini, debes mihi, quæ dedi tibi: & aliter, debes mihi, quia promisisti mihi. Quando dicis, debes mihi, quia dedi tibi, à te processit beneficium, sed mutuatum, non donatum. Quando autem dicis, debes mihi, quia promisisti mihi, tu nihil dedisti, & tamen exigis. Bonitas enim eius qui promisit, dabit, ne in malitiam fides conuertatur. Qui autem fallit, malus est.* Item de Tempore, serm.151. *Laudemus, fratres, Dominum: quia eius fidelia promissa retinemus, nondum accepimus. Parum putas, quia promissorem tenemus, vt iam debitorem exigamus? Promissor Deus, debitor factus est bonitate sua, non prærogantia nostra.* In eandem mentem Bernardus extremo libro de Gratia & Libero arbitrio: *Promissum quidem ex misericordia: sed iam ex iustitia persoluendum est. Est ergo quam Paulus expectat, corona iustitiæ: sed iustitiæ Dei, non suæ. Iustum quippe est, vt reddat quod debet: debet autem, quod pollicitus est: & hæc est iustitia, de qua præsumit Apostolus, promissio Dei.* Nec vero inelegans illud quod ex Bonauentura recitat Alfonsus à Castro: *Debitorem se fecit: non quidem hominibus, quibus nihil debere poterat: sed sibi ipsi, vt fidelis esset in promisso ita vt cœlum & terra transirent potius, quam promissio illius volaret inanis.*

IX. Sed debitum tamen ex merito probare sperat Porsanus. Promissionem enim, aliam esse absolutam; aliam cum conditione alicuius dicti factiue. Illam esse fidelitatis, alteram iustitiæ. Hanc, de qua agimus, esse cum conditione: & quæ sit eiusmodi, perfectissime obligare.

X. Nec vero nos promissionis distinctionem negamus: sed addimus promissionem cum conditione non omnem inferre meritum: nam hoc credimus à Porsano intelligi per illud, perfectissime obligare. Exceptio gemina. Prior, cum conditio addita non potest esse meritum: vt cum baptismo additur promissio: altera, cum non impletur conditio, vt si quis vel non baptizetur omnino: vel baptizetur non in nomine Trinitatis, quæ exceptio in hac quæstione locum habet, vt ante diximus.

XI. Tertia ratio erit Sanderi: Si Christus meritus est, ergo & fideles merentur. Antecedens manifestum, ad Philip.2. *Factus est obediens vsque ad mortem: mortem autem crucis: propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Probatur consequentia. Quia Christus meritus est, vt nos mereremur. Hoc ipsum probatur: quia natus est, vt nos renasceremur: precatus est, vt nos precaremur: obediuit, vt nos obediremus: passus est, vt nos pateremur: resurrexit, vt resurgeremus: per passiones suas intrauit in gloriam, vt per nostras tribulationes ipsi intremus in gloriam. Ergo & meritus est, vt nos mereremur. Rursus. Si proportio quædam est inter Christi passionem & gloriam: nosque ad eius imitationem oportet compati, vt conglorificemur: ergo est etiam proportio inter nostram compassionem & conglorificationem.

XII. Respondeo, negari consequentiam. Contra potius, Christum oportuisse mereri, quia nullus homo poterat: quomodo vadem oportet soluere, quia debitor ipse non est soluendo. Non est autem verum, si vas soluit: ideo debitorem soluere debere. Contra enim dictat sensus communis, si vas soluat, non teneri debitorem ipsum soluere. Itaque Paulus ad Colossenses 2. dixit Christum deleuisse chirographum. Quare etsi Christus meritus sit, apud Deum (quod tamen non probat locus ille ad Philippenses, vt alias disputauimus) tamen nos non meremur.

XIII. Precatum esse, vt nos precaremur: obedisse, vt obediremus: passum, vt pateremur; non bene dicitur: nisi sensus sit, exemplum nobis ab eo præbitum. Sed esto tamen, & reliqua quæ adduntur. Nego vero meritum esse, vt nos mereamur. Tu non valere consequentiam inde disce, quod non omnia fecerit, vt nos itidem faceremus. Incarnatus est pro nobis: nec tamen vt nos incarnaremur: passus pro nobis, non vt nos pro nobis: peccata nostra lauit suo sanguine, non vt nos eadem nostro lauemur: breuiter intercessit pro nobis, non vt nos etiam. Est autem intercedere pro alio, & mereri pro alio, prorsus idem.

XIV. Denique concedimus, quædam effecisse, in quibus sit à nobis imitandus: qualia illa sunt omnia, quæ debuit ex iure legis, quæ quicquid est naturæ rationalis, subiicit sibi. Ast quæ præstitit tanquam, & quatenus Mediator, id est, ex ipso proprie Mediatoris officio: hæc negamus debere, hæc negamus posse nos præstare. Est vero in iis, mereri pro aliis. Non est enim ex lege: quæ nullam admittit vicariam iustitiam: sed tantum personalem, cum dictum sit, *Hoc fac, & viues: maledictus, qui non permanserit in omnibus.* Cum ergo non sit eadem ratio, manifeste absurda consequentia.

XV. Esse proportionem inter Christi iustitiam & gloriam, concedimus: sed moralem: nimirum, qualem lex exigebat, & ex pacto. Fuit enim iustitia perfecta, in nullo prorsus deficiens. Sed esse proportionē inter nostram iustitiam, & nostram glorificationem, nulla dixit Scriptura: nullus concedet sobrius Theologus, qui norit, quantum absimus à legis perfectione: quique legerit non esse condignas passiones nostras, gloriæ reuelandæ: quod de Christi passionibus nemo hactenus dictum audiuit.

XVI. Ratio quarta eiusdem: Si solus Christus, absque nostris meritis, gloriam nobis meritus esset: ergo eiusdem esset ordinaria potestate cœlestem gloriam absq; vlla conditione cuiq; gratis dare: ēt nō operanti cum posset. At hoc non est. Ergo neq; illud. Probatur assumptū: quia Matth.20. ipse negat Christus, suū esse vt det etiam charissimis Apostolis sedere ad dextram suam, vel sinistram.

XVII. Respondeo, nos nunquam non inuitos inquirere in potentiam Dei, aut ei limites vllos ponere: sed totos esse in eius cognoscēda, meditandaq; voluntate, quatenus eam ipse patefecit in Scripturis: ex quibus constat, quo modo, quaue ratione voluerit homini ceetam salutem constare. Cum ergo certum sit, nullum vocari ad salutem absque obligatione pœnitentiæ, hoc contenti sumus: neque facile toleramus, qui id eo factum dicant, non tam quod voluerit, quam quod non potuerit aliter.

XIX. Ita protestatus:ne sibi non satisfactum audax Sophista conqueratur, distinguo non operantem:vt is sit, vel qui nulla exerceat opera bona ex vi vocabuli: vel qui exercet quidem, at non talia, qualia esse debeant, vt vere sint bona, ac perfectè: quomodo ad Rom.4. Paulus τὸν μὴ ἐργαζόμενον dicit eum, non qui omnino nihil habeat boni: sed τὸν πιστεύοντα ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ. Hoc posteriori modo negatur assumptum: autore ipso Apostolo, *Ei*, inquit, *qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua in iustitiam.* Non tantum ergo Deus potest cœlestem gloriam dare ei qui non operatur, hoc sensu: sed etiam dat reapse: imo nemini dat nisi non operanti.

XX. Nec contra est illud Matthæi. Nã primo nõ iis hoc priuilegii postulabatur, quibus nulla essent opera bona. Itaque si operum mentio aliqua huc sit intrudenda, negasset potius Christus se iis dare posse, quibus opera bona essent: contra quam velit Sophista, iis non posse dare, quibus nulla essent. Deinde, quorsum distinguitur potentia ordinaria, ab extraordinaria? Aut quid est in verbis Christi, quo ordinaria potius significetur? Nisi forte somnia nobis Iesuitica esse debeant pro Verbo Dei.

XXI. Et vero eum locum varii varie sunt interpretati. Mitto eos, qui delusi ab interprete Latino legerunt, *dare vobis*. Sed alii post Augustinum de Trinitate lib.1.c.12. de se Christum esse loquutum volunt, secundum formam serui: siue ita eius humanitas significetur, vt nonnullis placet: siue status eius, quandiu in hac fuit vita: quia non venisset ad distribuendas tunc sedes regni: vt Boyardus notauit feria 4. post Dominicam; *Reminiscere*. Alii malunt: non est meum, nisi cui præparatum est à Patre: nimirum, quia eadem sit & voluntas, & potentia Patris, ac Filii.

XXII. Sed quæcunque tandem interpretatio placeat, longè erit à mente Sanderi. Nam Christi secundum formam serui, non fuit nisi ordinata potentia: itaque distinctio ἀπροσδιόριστος. Deinde eiusdem non fuit dare, siue ex operibus, siue absque operibus: sed absolute non dare. Est enim id iuris tantum pertinens ad Maiestatem diuinam: itaque, si dedit Christus, quocunque tantem modo dederit, dedit tanquam Deus. Quod si negauit tantum Christus se posse dare, nisi iis quibus sit prædestinatum: Ergo non ab operibus caussa quærenda est dandi, aut non dandi: sed ab ipsa prædestinatione: quod ad rem nostram nihil pertinet.

XXIII. Iam si non operantes sumas eos, qui nihil prorsus agant boni, ne inchoati quidem, tum negatur consequentia. Nam primo aliud est meritum, aliud opus bonum: vt quamuis omnia merita definiantur bona: tamen omnia bona non sint merita. Quare, etsi negentur merita, non tamen necesse est negari opera. Deinde ordinaria potestas Christi, non contradicit voluntati & sapientiæ, ipsis definientibus Papistis. Cum ergo eius sit voluntatis, & sapientiæ, non conferre salutem absque vllis operibus bonis, non est potentiæ nullo modo operanti conferre.

XXIV. Ratio quinta est Salmeronis. Colliguntur, inquit, merita à typo Abrahæ, & filiorum Israel egredientium de Ægypto. Constat enim Abrahamum, fuisse typum iustificatorum. De eo dictum, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* At illa iustificatio ad regnum non fuit satis, sed exegit adhuc Dominus illud, *Ambula coram me, & esto perfectus.* Qui educti sunt de Ægypto, non statim post mortem agni, & transitum maris rubri terram promissam obtinuerunt: sed viam deserti ambularunt, & præeunte Domino, legitime pugnarunt. Hæc autem omnia figura nostri fuerunt: quibus non satis est credere agnum pro nobis immolatum, & per baptismum mittere nuntium Ægypto: nisi per viam deserti, ac pugnæ, hoc est meritorum, & obedientiæ, & patientiæ, contendamus in patriam intrare.

XXV. Sed nos pridem scimus, quam sit lubricum argumenti genus allegoricum. Itaque, vt maxime nihil aliud haberemus quod obiiceremus: tamen abunde satis refutatum hoc putaremus: nisi ita collatas, comparatas tesserulas, Sophista doceret esse à Scriptura: quod nunquam facturum certo etiam scimus.

XXVI. Et vero Abrahamum typum esse iustificationis ex operibus, negat dissertissimus Paulus 4. ad Romanos: qui eum proponit potius typum iustificationis ex fide sine operibus, *Si Abrahamus ex operibus iustificatus fuit, habet quod glorietur. At non apud Deum. Quid enim Scriptura dicit? Credidit autem Abrahamus Deo, & imputatum est ei ad iustitiam. Atqui ei qui operatur, merces non imputatur ex gratia: sed ex debito. Ei vero qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiam.* Et neget aliquis Abrahami exemplo immane abuti Salmeronem?

XXVII. In populo Israelitico haud est dissimilis ratio. Viam, inquit, ambularunt & pugnarunt. Ita est, inquam. Sed hæc via, hæc pugna, fuerunt-ne illis merita: propter quæ terram promissam possiderent? De via, ridiculum, vel ipso communi sensu teste. Imo, qui eam confecerunt viam, plerique omnes defecerunt, nec possederunt: & qui non confecerunt, non pauci possederunt. Imo acquisita fuit Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Iosepho, qui ne potuerunt quidem iter conficere. De pugnis autem manifestissimum est Prophetæ enunciatum Psalm.44. *Non enim gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos. Sed dextera tua & brachium tuum.* Adeo Sophista κλωθὸς ἀσύγκλωστος.

XXVIII. Sed rursus. Non fuit Abrahamo satis sua fides: sed oportuit ambulare coram Deo, Non fuit satis Israelitis edere agnum; sed oportuit iter conficere & pugnare. Esto sane, inquam: Sed hoc, quid ad merita? Et merita de condigno? Nam nos nec disputamus fideli nihil esse nisi credendum: nec negamus, esse etiam credenti bene operandum: Et legitime concludi concedemus: si Abrahamo imperatum fuit, vt ambularet coram Deo; etiam à nobis requiri, vt simus ei similes: Et hoc modo facile patiemur dici typum nostri. Rectè etiam: Si Israelitis post promissam terram Canaan ambulandum fuit & pugnandum: etiam nobis ambulandum in viis Domini: & pugnandum contra omne genus tentationum: Sed meritis nullum propterea locum damus. Sic nostri dicunt bona opera esse, non caussam regni, sed viam ad regnum, ex Bernardo.

XXIX. Nec vero difficilis res est. Nam Israelitis ius nullum quæsitum est in terram Cananitidem, ex itinere, aut pugnis: sed duntaxat ex liberalitate diuina. Neque, opinor, Reges Hispaniæ, & Lusitaniæ, patrum nostrorum æuo, ideo se legitime dicebant possidere nouum illum orbem: quia nauigationibus suum fecissent; sed quia ita esset à Papa definitum. Nimirum hanc illi definitionem existimarunt illis ius dare nauigandi. Sic idem rex Hispaniæ, vt Nauarræ regnum occuparet, catissam habuit, non arma sua, sed tyrannicam illam Papæ proscriptionem. Infinita possunt eiusmodi exempla dari. Itaque Salmeronis ratio est ridicula.

XXX. Sexta ratio ab eodem. Omnis recta lex præcipit, vetatque: & benefacta præmio afficit: iniqua autem opera supplicio. At lex Christi est perfectissima: ergo eadem, & præcipit, & vetat: item bona opera præmio afficit, mala opera mulctat.

XXXI. Respondeo primo: non concludi quæstionem: nos enim concedimus præmio affici bona opera: sed negamus id fieri per meritum condignum. Ast argumentum concludit quidem præmium, quod conceditur: meritum ne attingit quidem: quod tamen vocatur in dubium.

XXXII. Secundo, didicimus à Paulo legem aliam esse operum, aliam fidei, ad Romanos 3. Legem operum concedimus, non tantum mala opera mulctare: sed etiam bona remunerari ex merito: Sed nos negamus, post Paulum, legem Christi, esse legem operum. Contra autem, legem fidei concedimus esse legem Christi: & quidem perfectissimam: sed negamus legem fidei, agnoscere premia operum. Paulus, *Colligimus fide iustificari hominem absque operibus legis.*

XXXIII. Septima nobis erit ratio à Ioanne Dauentria contra 6. artic. Confessionis Augustanæ. Si ad vtilitatẽ nostram iubemur facere bona opera ergo per bona opera meremur vitam æternam. Probat antecedens. Quia imperauit nobis Deus bona opera; vel in sui commodum, vel proximi tantum, vel etiam nostrum. At non suum: non etiam proximi tantum: Ergo nostrum. Probat consequentiam. Quia, si ob nostrum: ergo vel temporale, vel æternũ: at non temporale: ergo æternum. Vnde Matth.6. *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius.*

XXXIV. Respondeo; quæcunque disputantur de antecedente, frustra esse: quia nemo nostrum negauit, nostro ipsorum commodo impositam esse nobis legem: aut id commodum, esse æternum præcipue. Insanus sit, qui cõtra disputet. Quid ergo? Nempe negatur consequentia: cuius infirmitatem, vafrè Sophista dissimulauit, vt in id sermonem auerteret, vbi se videbat abundaturum argumentis.

XXXV. Ratio negandi: q̃ à lege nulla salus cõstet, propter præuaricationem. Dicam clarius. Etsi concedamus legem positã esse, vt præmia obtineamus æterna per meritũ de condigno: tamen negamus vlla esse merita de condigno. Et ratio manifesta: quia lex meritum agnoscat implentis: nullũ præuaricantis. Nemo autem implet: omnes præuaricantur: itaque nullum esse meritum potest. Et importuna est, imo ridicula, in hoc hominum statu argumentatio à natura legis: quæ nihil nisi ideas sectatur, vereque ἀεράματα: vt eiusmodi Sophistis merito, illud obiicere possim, non meminisse se, nõ in Republica Platonis viuere: sed in foro Romuli.

CAP. XI.

De Absurdis Salmeronis.

I. POstrema Papistarũ ratio est ab absurdis: quæ quatuor colliguntur à Salmerone: vnde mihi totidem distinguentur argumenta.

II. Primum hoc est: Meritis sublatis refrigescet animus, & feruor operandi: otiabimur itaque; & abundabit iniquitas: & ad bona torpebimus. Quis preces fundet ad Deum? Quis se macerabit ieiunio? Quis laborabit in seruandis Ecclesiæ vel Dei mandatis? Et aperietur ostium magnum Sathanæ.

III. Idem erat Porsani absurdum supra capite tertio. Itaque nunc similiter negamus consequentiam: & iterum monemus, nullos vnquam minus fuisse in bonis operibus segnes, quam, qui pro certo habuerunt nihil se posse mereri apud Deum; & tamen eius gratia seruari. Itaque & Paulus feruentissimus fuit, etiam in precibus, & ieiuniis: & in reliquis bonis operibus: adeo vt nullius peccati se conscium esse diceret: qui tamen omnium diligentissime merita profligauit. Et Publicanus ille, non propterea Deum non orabat, quod se sciret esse peccatorem, id est, nihil merentem: imo propterea orabat potius, & quidem ardentius, quod se sciret nihil mereri, id est, esse peccatorem.

IV. Itaque docent nos Apostoli, arctissimam connexionem salutis gratuitæ & sanctificationis, siue bonorum operum. Petrus prim.1. *Si patrem cognominatis eum, qui citra personarum respectum iudicat ex cuiusque opere: cum timore versamini, commorationis vestræ tempore: vt qui sciatis vos, non caducis rebus, argento, vel auro fuisse redemptos ex vana illa vestra conuersatione à patribus tradita: sed pretioso sanguine, vtpote agni inculpati, & incontaminati.* Paulus ad Tit.2. *Expectantes beatam illam spem & illustrem illum aduentum gloriæ magni illius Dei ac Seruatoris nostri Iesu Christi: qui dedit semetipsum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & purificauit sibi ipsi populum peculiarem studiosum bonorum operum.* Et paulo ante. *Illuxit gratia illa Dei salutaris omnibus hominibus: erudiens nos, vt abnegata impietate, & mundanis cupiditatibus, temperanter, & iuste, & pie viuamus in præsenti seculo.*

V. Et vero rem ipsam mihi vide. Non potest hæc operum segnities esse, nisi vel in infidelibus, vel in fidelibus. In infidelibus fatemur esse: imo non segnitiem tantum ad bona opera; sed etiam strenuum ad mala studium. Sed negamus esse ab hac persuasione salutis gratuitæ: quia huiusmodi persuasionem nullam infideles aut habent, aut habere possunt. Itaq; hac quidem parte non oritur huiusmodi incommodum à doctrina salutis gratuitæ: sed ab ipsa infidelitate: quæ ne tum quidem cohibeatur, cum persuasissimum feceris inuadendum esse regnum cœlorum, & vi meritorum occupandum.

VI. Fidelibus vero fatemur esse persuasissimam salutem gratuitam: sed huiusmodi segnitiem locum habere posse negamus. Ratio, quia hęc persuasio non potest esse, nisi à Spiritu efficaciter operante in cordibus. At hæc efficacia, non in eo est duntaxat, vt persuadeatur salus; sed etiã vt formetur obedientia: Vnde Paulus diserte dixit, eam gratiam quæ saluifica est, παιδεύειν, erudire nos, vt viuamus temperanter, & iuste, & pie. Est autem erudire, non tantum externo verborum sono aures mouere: sed etiam reipsa formare eos qui docentur, vt id ipsum exprimant, quod docentur. Quare ne hic quidem locum vllum habet Salmeronis absurdum.

VII. Secundum absurdum. Sublatis meritis, sequitur Deum promptiorẽ esse ad vindicem iustitiam, quam ad gratiam. Ratio consequentiæ, quia puniret malos, & non remuneraret bonos.

VIII. Imo nihil ista putidius consequentia. Nam ne apud homines quidem ille pronior in vindictam, qui omnes latrones agit in crucem. Quia si bonos

bonos inueniret viros, tam esset promptus, imo vero promptior ad eos protegendos. Itaque illa seueritas tota est à caussa extrinseca. Iã Deus nullos inuenit bonos, quibus præmia retribuat ex merito: sed tantum malos, quibus supplicia. Non ergo ille, nisi per immanem calumniam, pronior in iram dici potest; quomodo latrones cõqueri solent de optimi magistratus crudelitate.

IX. Præterea fœdus error est, cum constituitur gratia in remunerandis meritis: quæ potius est in condonandis peccatis: vnde consequentia longe aptior, Si auferantur merita longe promptiorem Deum esse ad gratiam, quam ad vindicem iustitiam. Ratio manifesta, quia cum non à se, sed à meritis moueatur, vt ita dicam, ad vindicandum: at non à meritis, sed à se ipso solo, gratificetur. Itaque Paulus scriptũ voluit, *Deũ iustificare impiũ*: qua in re immensitas est misericordiæ: quam tu diruis, quisquis nõ potes nisi merita cogitare.

X. Tertium absurdum. Sublatis meritis committitur peccatum in Spiritũ Sanctum, expectando gloriam sine meritis. Mirum genus cõsequentiæ. Sed audite rationem. Est enim fides substantia rerum sperandarum: & respicit Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator. Et quid est, Deum inquirere, nisi bonis operibus, & sanctæ vitæ meritis Deum promereri? Et quid est remunerator, nisi munerum, & mercedum redditor? Est enim munerare, nullius prioris officii aut beneficii accepti compensandi respectu aliquem sibi demereri: at remunerat, quia acceptum beneficium, aut quod sibi velut impensum tulit, aliquo præmio compensat. Spes præterea definitur à Thoma, certa expectatio futuræ beatitudinis ex gratia & meritis proueniens: at sine meritis arrogans esset & temeraria. Vnde cum fide excluduntur à regno operarii iniquitatis: quod etiam ostendunt virgines fatuæ vane expectantes; & dicentes, *Domine, Domine aperi nobis.*

XI. Descripsi ad verbum: ne quis me per calumniam Sophistæ huic imputare quid indignum suspicetur. Nam ego quidem argumentationis neque pedes video, neque caput: nec possum mihi persuadere non esse illud de peccato in Spiritum Sanctum, inanis terriculi caussa additum. Nam alias cui bono? Nam in probationibus, non maior habetur eius ratio, quam chimæræ aut tragelaphi. Itaque, etsi concederentur, quæcunq; dicuntur de fide, de muneratione & remuneratione, de spe, quæ tamen concedi non debent: nihilominus nihil est, quo concludatur peccatum contra Spiritum Sanctum. Nisi forte hoc hominum genus, casibus scilicet innutritum conscientiæ, nouã habeat propriamque decempedam metiendis pro arbitrio peccatis. At nos vnum scimus, & scire amamus, Vitam æternam esse donum, non stipendium.

XII. Deum esse inquirentibus se remuneratorem, talemque credi ab iis qui accedunt ad eum, pridem didicimus à Paulo. Sed inquiri eundem per bona opera & merita, nimium securus pronuntiat Salmero, quasi prætor esset rebus Theologicis definiendis. Sed huic nos temerarii prætoris edicto, autoritatem opponimus Thomæ, huncipsum accessum tribuentis, non operibus, non meritis: sed fidei. *Minorem subdit, dicens. Sine fide autem impossibile est placere Deo. Ecclesiastis primo, Beneplacitũ est illi fides. Ad Rom. 3. Arbitramur iustificari hominem per fidem. Probat autem minorem, cũ dicit, Accedentem ad Deum oportet credere. Nullus enim potest Deo placere, nisi accedat ad ipsum. Iacobi quarto, Appropinquate Deo & appropinquabit vobis Psalmo. Accedite ad eum, & illuminamini. Sed nullus accedit ad Deum nisi per fidem: quia fides est lumen intellectus. Ergo nullus potest placere Deo nisi per fidem. Accedentem autem per fidem, oportet credere Domino.* Thomæ Lyranum addimus, *Ad hoc, quod aliquis placeat Deo, opus est, quod accedat: iste autem accessus est per fidem.* Quod si per fidem, imo vt distertius Thomas, non nisi per fidem: ergo non per opera: at si non per opera, quomodo per merita? Esse porro Deum inquirendum, eodem medio, per quod ad eum oporteat accedere, quis potest dubitare? Prophano ergo Salmeroni dictum, inquirere Deum, Paulo esse, operibus & meritis Deum promereri.

XIII. Μισθαποδοτὴν etiam Deum absit vt negemus. Sed quomodo ante, sic ẽt nunc negamus omnem μισθὸν, præsupponere meritũ. Mitto subtiliorẽ quã solidiorẽ distinctionem munerandi & remunerandi: sed, vt concedã, remunerando, compensari aliquod munus præcedens: tamen nego omne munus mereri id, quod rependitur: nam & apud homines sæpe permutantur χρύσεα χαλκείων: Et Apostolus non dixit remuneratorum, sed μισθαποδοτὴν: hoc autem ab illo differt non exiguo interuallo: Nam remunerator munus aliquod præcedens supponit, teste saltem Salmerone: at μισθαποδότης non item. Nemo enim, opinor, hactenus appellauit munus id, quod spe mercedis præstatur. Et quanquã nolimus λογομαχεῖν, tamen interest id notari aduersus istos, qui singula Latini interpretis vrgent verba: quasi totidẽ Spiritus oracula.

XIV. Breuiter de munere duo dicimus. Primum, bene operando nullum nos Deo munus offerre proprie: sed debitum officium præstare: itaq; ne nobis quidem remunerationem deberi. Secundo munus proprie, ad liberalitatem pertinere; non ad iustitiam commutatiuam. Itaq; id proprie munus esse; quod detur absque spe compensationis. Quare, si bona opera essent munera: tamen non debere à nobis merita appellari.

XV. Est tamen hoc loco vehemens Benedictus Iustinianus: pertendens mutuam esse relationem inter meritum & mercedẽ, adeo vt possit Deus μισθαποδότης dici, si negetur ratio meriti. Probat ex 4. ad Roman. τῷ ἐργαζομένῳ ὁ μισθὸς οὐ λογίζεται κατὰ χάριν, ἀλλὰ κατὰ τὸ ὀφείλημα. Et grauiter in nos inuehitur, qui relationem substituamus inter μισθὸν & ἐπαγγελίαν. Nimirum, inquit, istud est bona fide interpretem agere, id est, omnia suo arbitratu peruertere & inquinare.

XVI. Sed Iesuitico ingenio familiaris πικρολογία nos non mouet: futilitas potius rationum perpetua securos reddit. Enimuero Apostolus iisdem illis verbis agnoscit relationem mercedis geminam: vnam ad merita, alterã ad gratiam: manifeste distinguens duplicem imputationem τοῦ μισθοῦ: alias κατὰ χάριν κατὰ τὸ ὀφείλημα. Et imputari κατὰ τὸ ὀφείλημα, operanti: at non operanti κατὰ χάριν. Potest ne autem non operantis esse aliquod meritum? Necesse est ergo mercedis imputatæ κατὰ χάριν nullũ esse meritũ. Vnde Augustino Merces nostra gratia erat. Itaq; Iustinianum ridiculè exarsisse in iras constat.

XVII. Sed redeo ad Salmeronem. Spes, inquit, ex gratia & meritis prouenit: Et sine meritis arrogans est ad temeraria. Nimirum, inquam, sic definitũ Salmero inuenit aliquando à Theologis: sed suis, non sanis. Nam spem, qui sani sunt, sciunt commune habere fundamentum cum fide. Fidei autem præter gratiam Dei, nullum esse. Itaq; ne spem quidẽ oriri, nisi gratia Dei. Quapropter vere illam spem arrogantem esse, temerariam esse si quæ est, quæ confidentiæ operum & meritorum innitatur.

XVIII. Cum fide exclusos operarios iniquitatis, exclusas virgines non prudentes, illi iidem, puto, dixerunt Salmeroni, Salmeronis Theologi: Sed illis iisdem insolens est sanis Theologis, qui fidem non nisi ὁμώνυμον, imo ψευδώνυμον agnoscunt in operariis iniquitatis.

XIX. Quartum absurdum. Hæc opinio, inquit Salmero, tolleret varia hominum merita, ac per hoc varias mansiones in domo Patris. Nam si sola consideres Christi merita, & illa omnia, quisque sua fide apprehendat, eadem profecto & paria erunt omnium merita, etiam puerorum.

XX. Ridiculè. Quomodo enim paria, quæ nulla? Sed ad rem. Tolli hominum varia merita fatemur: neque absurdum agnoscimus: imo potius necessarium, vt ne subuertatur vniuersa fides in Christum. Sed tolli varias mansiones in domo Patris, negamus. Nam hæ non dispensantur secundum merita; sed per gratiam. Hæc autem, etsi vna est, tamen dona sua varie, inæqualiq; mensura dispertit: vnde Paulus ab eodem Spiritu docet esse varia χαρίσματα. Et vero, in prima saltem gratia ipsi Papistæ tollunt merita: & tamen in Paulo maiorem fuisse, quam in vulgo fidelium, non negent opinor. Apostolatum nemo est promeritus: & tamen inter Apostolos, erant nonnulli ὑπερλίαν ἀπόστολοι, teste Paulo.

CAP. XII.

De Patribus.

I. HActenus fuerunt Papistarum argumenta è Scriptura, & rationes nunc eruntab autoritate veterum Theologorum: Et quidem distributorum in certos ordines, vt res tota sit manifestior.

II. Primi ii sunto, qui manifestam vim passi, à partibus Papistarum stant inuiti, & tamen non reclamantes. Ignatius ad Rom. *Sinite me, vt bestiarum esca sim, per quam possim Deum promereri.* Iustinus Apolog. 2 *Homines, qui dignos se Dei voluntate & consilio, operibus præstiterint, cum eo victuros esse meritis suis sumpsimus, ac regnaturos, sicut ab omni interitu perturbatione que sint liberi.* Origenes ad Rom. lib. 2. *Primo excludantur hæretici, qui dicunt animarum naturas bonas & malas: & audiant, quia non pro natura, sed pro meritis reddit Deus. Secundo ædificentur fideles, ne putent hoc solum sufficere, quod credunt: sed sciant, iustum iudicium Dei vnicuique reddere secundum opera sua.* Basilius in Iulittam apud Horantium, locorum communium lib. 1. c. 66. *His dictis, in lignorum struem accensam insiliuit, quæ perinde ac thalamus splendore coruscus, corpus sanctæ Iulittæ complexa, animam quidem in cœlestem illam destinauit regionem, & requiem quæ illius meritis congruebat.*

III. Horum omnium improba verbione corrupta sunt testimonia: Latinis interpretibus sui præiudicii commodo Græca exprimentibus, suamque mentem autoribus suis commodantibus. In Ignatio sane mira lusit impudentia, quisquis ille fuit, quo Bellarminus vti maluit interprete: ita tertio quoque verbo, mereri, promereri, & meritum ingeminat. Videte confidentiã. ἐπέτυχον ἰδεῖν ὑμῶν τοὺς ἀξιόθεα πρόσωπα *Obtinui vt videre mererer dignos Deo vultus vestros.* Εἰ γὰρ χάριτος ἐπιτύχω, *siquidem per gratiam meruero:* μοὶ δύσκολον ἐστὶ τὸν Θεὸν ἐπιτυχεῖν: *mihi difficile Deum promereri,* & ita semper Θεοῦ ἐπιτυχεῖν. Dignũ vero meritorum fundamentum. At Vairlemius optimus interpretum Ignatii, iudice Billio, optime, *Deum assequi*, vertit. Itaque quibus verbis abusus est Bellarminus, ea sic sonant apud eundem, *Sinite me ferarum escam fieri, per quas licebit Deum adipisci.*

IV. Iustinus scripserat in hunc modum: Οἱ διὰ ἀξίας τοῦ ὁσίου βουλήματος ἑαυτοὺς δι' ἔργων δείξωσι, τῆς μετ' αὐτοῦ ἀιαφθορᾶς καταξιωθῆναι παρεσκευάσαμεν συμβασιλεύοντες, ἀφθάρτους καὶ ἀπαθεῖς γενομένους. Hæc Latine sonãt. *Qui, si dignos illius consilio sese per opera ostenderint, eius conuersatione dignatum fuisse accepimus, cum illo simul regnaturos, & futuros corruptionis ac passionis expertes.* Tolerari poterat illud, quanquam durius, *operibus præstiterint se dignos Dei voluntate:* pro *ostenderint:* sed ἀξιοῦσθαι ἀιαφθορᾶς, *meritis suis victuros*, quis ferat? In editione Silburgii bene, *conuersatione sua dignatum iri.*

V. Origeni de suo Bellarminus commodo commodauit illud *pro meritis:* pro quo legas tum in Basileensi editione, tum in Parisiensi postrema, *pro operibus.* In quo si nihil erat momenti, cur mutauit? Mihi quidem fit verisimile scripsisse Origenem, κατὰ ἔργα *secundum opera*, vt in posteriore membro: quę phrasis antea nobis exposita.

VI. Basilius dixit. τὸν ἀφύχιον ἐπὶ τὸν οὐράνιον χῶρον καὶ τὸν πρέποντα αὐτῇ λῆξιν ἀπέπεμψε. *Animam in cœlestem regionem, conuenientemque requiem emisit.* Πρέποντα ergo vertit ille quisquis est, *Eius meritis congruentem*: Quis sperasset? Nam Matth. 3. cum se baptizandum Christus doceret, ὅτι, inquit, πρέπον ἐστὶν ἡμῖν πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην: An tu sic reddideris: *Sic enim meritis meis congruit, omnem implere iustitiam?*

VII. Ad eundem ordinem refero Areopagitam Salmeroni nominatum ex capite postremo Ecclesiasticæ Hierarchiæ. *Didicit ex Scripturis, quæ diuinitus prodita sunt, eis qui sancte vixerint, splendidissimam, diuinamque vitam pro meritis æquissima trutina esse reddendam.* Clementem Alexandrinũ Stromat. 4. ex Herueti versione, *Deus omnia omnibus distribuit pro meritis.* Sexto, *Qui in iustitia maiorem habuere dignitatem & merita.* Nam primo secundoque loco, pro meritis Græce illud est καὶ ἀξίαν, de quo iam actum. Tertium ita legas, τοὺς ἀξίαν μᾶλλον ἐσχηκότας τὴν δικαιοσύνην: quod debuit reddi: *Eos quibus in iustitia maior fuit dignitas*: id est, qui iustiores aliis fuerunt: etsi non meritis, tamen apud Deum.

VIII. Sed Basilium, & Nazianzenum fœdius deturpatos dolemus. Hic oratione 28. ὅπου ἐστὶ χωρὶς πίστεως πρᾶξις ἔγκειται. Billius vertit, *Actio, si à fide discedat, laudem non meretur.* Billium ferre possum: cum aliud sit laudem mereri, aliud vitam æternam mereri: sed qui hinc merita apud Deum conficiunt, quid habent sani?

IX. Ex Basilio illud est oratione in quadraginta Martyres. *Quæ tandem horum merita explicare possit oratio? nec quadraginta quidem linguæ tantorum virorum.* Sed Græce: Τίς ἂν εἴη ἐφικοίτο λόγος τῆς τῶν ἀξίας; Et hoc non pudet interpretari de meritis vitæ æternæ? de meritis ex condigno? Profecto hos homines necesse est, aut ipsos fungos esse, aut omnes alios pro fungis habere. Nam ea verba sic erant reddenda. *Quæ oratio horum assequatur dignitatem?* Quanquam possum sane & hic merita condonare; quæ vox hoc genus hominum adeo titillat: vt patiar reddi: *quænam eos possit oratio laudare pro meritis?* Verum hæc merita non erunt quibus illi sunt æternam vitam meriti: sed relata potius ad ipsam orationem. Breuiter non est hic sensus: quæ oratio explicare possit eorum opera, quorum operum meritis

adepti

adepti sint vitam æternam: sed hic potius, quænam oratio par esse possit laudibus, quas illi sunt à nobis meriti?

X. Hæc cum ita sint, tantusque obseruetur apud Papistas abusus Græcorum autorum: condonent nobis non iniustam similium omnium locorũ suspicionem, viri pii: neque nos sperent Papistæ futuros tam faciles, vt quæ merita illi nobis legent ex versionibus suis, ea concedamus esse legitima testimonia; donec de textu Græco plena fides fiat. Itaque illud Nysseni ex orat. 1. de amandis pauperibus: *Denique pro suis quemque meritis ornamentum cerno*: Et Chrysostomi homil. 4. de Lazaro: *Si iustus est Deus, & his & illis reddet pro meritis*, examinent Lectores suæ salutis curiosi, ad fidem Græcorum codicum, quos mihi videre nondum contigit. Mirum, ni simile quid superiori comperiant audaciæ.

XI. Proximo eos Patres loco constituo, qui solo nomine testes, oratione caussam Papisticam non promouent. Tales, quicunque mercedem solam nominant, aut coronam, aut præmium, & similia. Nam ista nos pridem negauimus concludere meritum, & quidem ex condigno. Irenæus lib. 4. c. 72. *Pretiosam arbitremur coronam, quæ per agonem nobis acquiritur: sed non vltro coalitam: & quanto per agonem nobis aduenit, tanto est pretiosior.* Hilarius in Matth. Can. 5. *Hæc recte perfecteque viuentium merces est; vt in nouam cœlestemque substantiam ex hac corruptibilis corporis materia transferantur, & corruptio terrena cœlesti incorruptione mutetur.* Paulinus ad Victricium, *Tuarum tibi præmia se debere virtutum, iudex iustus agnoscet.* His, & si qua sunt eiusmodi poterant enumerandis supersedere boni Papistæ, quæ pro merito stabiliendo sunt non satis diserta. In quorum ordine & illud Nazianzeni potuit esse, ex oratione in sanctum Baptisma: *Crede resurrectionem, iudicium, mercedem ad iustam Dei lancem exigendam*: nisi paululum quid sibi Billius indulsisset. Nam Græca ne mercedem quidem dicunt, sed ἀντιπόδοσιν. Ita enim habent Δέχε πρὸς πίστις ἀνάστασιν, κρίσιν, ἀντιπόδοσιν, πίστει τοῦ Θεοῦ σταθμῷ. Atqui ἀντιπόδοσις latius patere, quam μισθὸς quis ignorat:

XII. Sed illud Hilarii, *Regnum Dei vitæ nostræ stipendiis quæramus*, eodem quinto Canone in Matthæum, qui sibi putarunt fauere, nec illi quę legunt non curarunt intelligere. Quis, quæso, stipendia dixit vnquam, quæ à militę præstantur, & non potius ab imperatore soluuntur? Itaque ridiculus Porsanus, qui Gallice interpretatus est, *per merita vitæ nostræ*. Nemo potuit crassius allucinari. Intellexit Hilarius, stipendia vitæ nostræ, quæcunque nobis Deus sufficit vtilia vsibus huius vitæ: & hæc nos à Deo accipere quęrentes regnum cœleste. Patet ex serie. *Omnem igitur expectationem nostram in fide repromissionum, & virtutis suæ potestate, exegit collocari: vt, cura rerum quibus indigemus omissa, ab eo potius omnia, à quo ipsi vitale exordium sumpsimus expetamus, regnumque Dei, vitæ nostræ stipendiis, quæramus.* Hæc vero quid ad meritum? Nam profecto, quæ à Deo accipimus vtilia sustentandæ huic vitæ, ea non possunt esse aut dici merita nostra.

XIII. Tertio ordini assignabo, quicunque secundum opera retributum iri dixere: imo etiam per opera. Irenæus: *Coronam per agonem nobis acquiri.* Origenes, *Iustum iudicium Dei, vnicuique secundum opera sua reddere.* Basilius in Prouerb. initium. Πάντες οἱ τὴν εὐαγγελικὴν ὁδὸν πορευόμενοι ἐμπορεύεσθαι μὲν τὰς ἐργασίας καὶ σύλλογον τῶν κτῆσιν ἐκείνοις προσγενέσθαι. *Omnes qui Euangelicam viam incedimus, mercatores sumus, per opera* (dic potius *per operationem*) *mandatorum nobis possessionem cœlestium comparantes.* Hæc & similia nihil promouent. Non enim consequens est, si per opera acquiramus, etiam per operum merita, vt alias diximus: quanquam in metaphorica oratione, ratio similitudinis facile aliter æque aliter concipi quæat.

XIV. Supersunt frequentissima apud Theologos Latinos, mercedis, & meriti vocabula: quibus quæ adæquate (vt loquuntur scholæ) respondeant, nulla sunt apud Græcos. Itaque & Papistis longe maior spes à Latinis: & plurimis nostrum videtur hæc pars disputationis longę difficilior. Nec negem sane, abusam esse posteriorem, sequioremque ætatem huiusmodi vocibus, ad eam statuminandam, quæ tandem inualuit, persuasionem. Sed eodem sensu vsos Veteres, persuaderi mihi non potest: qui sciam perpetua eorum doctrina non pessundari tantum meriti condigni fundamenta: sed etiam diruit parietes; totumque adeo ædificium disturbari, vt postea fiet manifestum.

XV. Enimuero, merendi verbum, non nego, prima sua propriaque origine, aptum esse significationi Papisticæ, quæ aliquid antecedens præsupponat, cuius ratione aliquid debeatur boni, non sine iniustitia denegandum: & denique, ita, vt quod ita meritum sit, opponatur gratuito: quo nos sensu, nunc negamus vlla esse hominum merita.

XVI. Sed dico: quomodo solet ab antecedente consequens, & à caussa effectum aut nuncupari, aut designari; aliam huic vocabulo accessisse notionem, eamque frequentissimam apud Ecclesiasticos Scriptores: nempe adipiscendi, consequendi, etiam tum cum dignitas nulla, nullum præcedens meritum supponitur: adeo vt sit simpliciter idem quod obtinere; imo etiam donari. Exempla sunt vbique obuia: itaque infinita cumulari possunt. Nos pauca recensebimus. Augustinus in Psalm. 105. *Vnam stillam diues ille non meruit.* Gaudentius præfat. in tract. suos. *Obsecraret istius pauperis tincto in aqua digito refrigerari linguam suam, quod tamen promereri non potuit.* Est ne aliquid obscuri? At certe diues ille; nulla sua aut obtendebat, aut obtendere poterat merita: sed suppliciter rogabat, instanter postulabat: id est, obtinere gestiebat, & contendebat: sed frustra petiit: Itaque sensus, Augustino, non obtinuit: Gaudentio, obtinere non potuit. Ambrosius de fide Resurrectionis: *Denique etiam ipsa post vsum vota fastidio sunt, & quæ mereri optauimus postquam meruimus, abdicamus*, Idem de dignitate sacerdotali c. 5. *Gratiam, cum ordinareris, non suscepisti, quia gratuito eam non meruisti.*

XVII. Augustinus de Prædestinatione & Gratia, c. 16. *Dura ceruix in illo populo, qui ex omni mundo electus est, qui de seruitute decem miraculis meruit liberari.* Posidonius in Augustini vita cap. 11. *per libros editos: atque in Græcum sermonem translatos, ab illo vno homine, & per illum multis fauente Deo, multa innotescere meruerunt.* Arnobius lib. 1. *Postquam gens nostra* (Christianos intelligit) *felicitate donari huius vocaminis meruit.* Item, *Istud munus Dei Patris, & donum est, vt infinita meruerint esse per secula.* Sedulius de Tenebris horarum trium, *Hunc elementa sibi meruerunt cernere vultum.* In ipsis Papistarum ritualibus audio etiamnum cantillari *felix culpa, quæ tantum meruit habere redemptorẽ.* Et apud Gratianum de Consecratione, dist. 2. Canone, *Quia corpus*, illud, *Dei filius fieri occulta puritate meruisti.* Glossa exponit *obtinuisti*: nam sermo est de Baptismi regeneratione, quam nullis vnquam meritis quisquam assignauit: ne ipsi quidem Papistæ. Denique agnoscit hunc vsum Stapletonus in Promptuario, Feria 5. post Dominicam passionis. *Nemo vel veterum interpretum vel recentium verbo promerendi vsus est*, nempe in historia mulieris peccatricis Luc. 7. *aut si aliquis eo vsus est, aliter non intellexit, quam consequutionem de facto.*

XVIII. Nec vsus apud exoticos mauditus. Sic videtur Seneca Agamemnone, *Cadere qui meruit manu*: quod Virgilius dixit, *Contigit oppetere.* Symmachus libri 2. Epist. 36. *Neque more fieri, quod Numa autor Metellus conseruator religionum, omnesque Pontifices maximi nunquam ante meruerunt.* Ammianus Marcellinus lib. 14. *Censorius Cato interrogatus, quamobrem inter multos nobiles statuam non haberet, Malo, inquit ambigere bonos, quamobrem id non meruerim, quam, quod est grauius, cur impetrauerim, mussitare.*

XIX. Hinc explicatur facile magnus locorum numerus. Ambrosius ad Hebræ. c. 4. *Si illi terram intrare non meruerunt, quia murmurarunt contra Deum: quomodo nos cœlum merebimur intrare, indifferenter viuentes, sicut gentes*: Cyprianus de Vnitate Ecclesiæ lib. 2. *Iustitia opus est, vt promereri quis possit Deum.* Augustin. de Natura & Gratia, c. 36. *Maria concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Cyprianus sermone de Eleemosyna: *Nutum beata mulier, & gloriosa, quæ etiam ante diem iudicii meruit iudicis voce laudari.* Lactantius lib. 7. c. vl. *Vniuersos oportet operam dare, vt se quamprimũ ad rectam viam dirigant, vt susceptis, operatisque virtutibus, huius vitæ laboribus patienter exactis consolatorem Deum habere mereantur.* Ambrosius in 3. ad Philippenses, *Qui intelligit sui caussa Christum hominem factum & passum, & victa morte resurrexisse, contemptis & spretis omnibus, hunc sequitur, cuius præsidio videt se à morte liberatum, quærens causas ad promerendum eum, vt vel in aliquo illi vicem possit reddere, vt adhuc maiora consequi mereatur promissa in resurrectione.* Horu & quicunque loci sunt similes, facilis soluto. Quia idem est, salutem mereri, & salutem obtinere, siue assequi. Idem rursus, consequi mereatur, & consequi obtineat: vnde nihil elici potest necessarium pro merito condigno.

XX. Indidem censebuntur, & alii infiniti, quibus est familiare meritorũ nomen. Cyprianus de Eleemosyna. *Si expeditos, si celeres, si in hoc agonis opere currentes, dies nos vel redditionis, vel persecutionis inuenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad præmium deerit.* Epist. 77. *Vt ex vobis pars iam martyrii sui consummatione præcesserit meritorũ suorum coronam de Domino receptura.* August. Epist. 105. *Nullane sunt merita iustorum: Sunt plane, quia iusti sunt: sed vt iusti fierent, merita non fuerunt.* Hilarius in 2. Ps. *Amari se, sibique nos obsequi, idcirco à nobis expetit, vt digni beatitudinis suæ ac bonitatis munere per meritum amoris sui & obsequii iudicemur.* Et post. *Qui nos per beneuolentiam vtendæ beatitudinis suæ creasset, profectum nobis ad id meritum vitæ innocentis honestæque constituit.* Ambrosius de Viduis, & viduitatis merita frequens nominat: & *Nec inflatur*, inquit *Domini mater quasi secura de meritis: sed quo meritum maius agnouit, eo votum vberius exsoluit, officium copiosius detulit, munus religiosius vexit mysticum tempus impleuit.* Prosper de Vocatione Gentium lib. 2. c. 2. *Datur vnicuique sine merito, vnde tendat ad meritum & datur ante vllum laborem meritum, vnde quisque mercedem accipiat, secundum suum laborem.* Et c. 10. *Deus iu, quos elegit sine meritis, dat vnde ornentur & meritis.* Sed non est necesse huiusmodi locos omnes describere, quorum numerus inniri vix potest.

XXI. Nam qui in merendi verbo tam fuere liberales, potueruntne meritis, inde deductis, nihil indulgere? Mihi quidem non fit verisimile. Et ipse Bellarminus de Gratia & libero arbitrio lib. 1. c. 10. cogitur agnoscere: *Solet*, inquit, *Augustinus meritum appellare quemlibet actum bonum, ratione cuius aliquid aliud accipimus.* Vt cum Epist. 105. & 106. remissionem peccatorũ negat dari sine merito, quia fides, orando illã meretur. Nam certe mereri quenquam posse remissionẽ peccatorum, absurdissime dicitur, si non *merendi* vocabulum abstrahas à propria significatione: & fidem qui segregat ab operibus, idem necessario docet alienandam à meritis. Denique dari merito quid, propter solas preces, ne homines quidem inter se admiserint: quanto ferendum minus, homines Deo quasi insultare? Adde ex eodem Augustino merita fidei, de catechizandis rudibus c. 25. *Credimus quod non videmus, vt ipsis meritis fidei etiam videre quod credimus, & inhærere mereamur.*

XXII. Quare merito idem accidit, quod oppositæ mercedi: vt à prima significatione deflecteret in longe molliorem: significaretque, non id tantũ cui ex propria dignitate aliquid debetur: sed etiam cui quoquomodo consequens sit aliud, siue necessitate causalitatis, siue necessitate consequentiæ. Neque hoc negare, aut possunt, aut debent Papistæ, alioquin meritum congrui, quomodo nominent? Nam istud meriti nihil habere præter nomen cõcedunt. Quia igitur hæresis in sensu, non in verbis est, sed scimus ex diuina ordinatione necessariam esse consequentiam, vt qui crediderit in Christum, qui bene egerit, consequatur vitam æternam: toleremus sane in Veteribus, magnis viris, meriti nomine designari opus bonum: sed Papisticum dogma de condignitate operum, ne putemus hoc prætextu admittendum: quod ipsi illi Veteres seuerissime exploserunt, vt paulo post manifestum fiet.

CAP. XIII.

Vita æterna, donum Dei.

I. HActenus Papistæ: nos nunc disputamus. Primo ex illis Pauli verbis ad Rom. πολὺ δὲ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας, τὸ δὲ χάρισμα τοῦ Θεοῦ ζωὴ αἰώνιος ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν: *Nã stipendia peccati mors: donũ a. Dei, vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* Inde argumentũ perspicuũ: Nullum donum est ex merito condigno. At vita æterna est donum. Non igitur ex merito condigno.

II. Minor est manifesta ex disertis Pauli verbis. Maior tum per se, quandoquidem donare, solius est liberalitatis: tũ ex ipso χαρίσματος vocabulo: tum ab oppositione ὀψωνίων. Nam χάρισμα, ἀπὸ τοῦ χαρίζεσθαι, q ipsum, ἀπὸ τοῦ χάριτος. Hæc a. gratia est, quã apostolus opponit ὀφειλήματι, debito, & operibus, 4. ad Rom. *Et qui operatur, merces non imputatur ex gratia, sed ex debito.* Vnde necesse est, τὸ χαρίζεσθαι, nõ simpliciter esse *largiri*, sed *gratis largiri*, siue *gratificari* Phauor. χαρίζομαι δὲ μόνον τὸ δωρεῖσθαι, ἀλλὰ καὶ τὸ χάριν τινὶ ποιῶ. A Veteri interprete Latino, solet exprimi per donare. Vim a. verbi disce ex Luc. 7 *Quũ illi nõ essent soluẽdo, ἀμφοτέροις ἐχαρίσατο, gratificatus est vtrisq; siue nõhabẽtib. illis vnde redderẽt, donauit vtrisq;* nã hic manifesto merita explodũtur.

III. Τὸ χάρισμα igitur, exponẽte etiam Phauorino, δῶρον, *donum* est, nimirum id, quod quis in alterum confert gratis. Itaque ab interprete Latino, plerumque

plerumque *donum* redditur. Ad Rom. c. 5. *Sed nō sicut delictum, ita & donum.* cap. 11. *Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei.* Prior. ad Cor. 7. *Vnusquisque proprium donum habet.* At ad Rom. 12. *Habentes donationes.* Alias ipsum Gratiæ nomen vsurpare maluit. Ad Roman. 1. *Vt aliquid impertiar vobis gratia spiritualis.* Prior. ad Cor. 1. *Vt nihil vobis desit in vlla gratia.* Et ne plura colligam, in hoc ipso nostro loco; *Gratia autem Dei, vita æterna.* Quanquam facile vident omnes χάρισμα, esse potius effectum gratiæ.

IV. Iam ὀψώνια, stipendium, tum hoc loco vertit Vulgatus interpres, tum post. ad Cor. 11. *Alias Ecclesias expilaui, accipiens stipendium.* Et Luc. 3. *Contenti estote stipendiis vestris.* Et prior. ad Cor. 9. *Quis militat suis stipendiis vnquam?* Nec mutauit Beza. Erasmus maluit, *autoramentum peccati*: ostēdandæ puto Latinitati: nam alia nulla potuit esse causa. Sadoletus multo futilius, *Pabulum.* Nam ὀψώνια docti sciunt illud esse, quod militibus datur, quasi pro mercede laborum: vnde illud Baptistæ monitum, vt milites suis stipendiis essent contenti. Poterat quidem argumento suo Paulus satisfacere, si vtrique membro ὀψώνιον nomen retinuisset: verum maluit ille rei consulere, maxime nullo cum detrimento argumenti. Mutauit ergo: & non sicut peccati mortem, ita iustitiæ vitam dixit esse stipendium: sed peccati quidem stipendium mortem: at æternam vitam, donum esse Dei gratuitum. Quam oppositionis vim eleganter, meo iudicio, Tertullianus expressit, continuata militię metaphora. De Resurrectione carnis c. 47. *Stipendia delinquētia mors: donatiuum autem Dei, vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* Erat n. apud Romanos donatiuum id, quod militibus dabatur præter stipendium.

V. Itaque mens Apostoli manifesta est, etsi vltimi sint fines hominis vita, & mors: tamen non esse vtriusque eandem rationem. Mortem acquiri veris meritis, id est, peccatis, quibus proprie, & ex iustitia distributiua, illa debeatur. At non ita ex aduerso vitam æternam: quasi hanc acquirant homines per iustitiam, etsi quidem peccato aduersa sit iustitia, vt morti vita: sed potius esse gratuitum donum: ideoque nulli merito debitam reddi, sed ex mera Dei liberalitate conferri.

VI. Hoc vidit & expendit iam olim non nemo. Origenes, *Deum non erat dignum militibus suis stipendia, quasi debitum aliquod dare, sed donum & gratiam, quæ est vita æterna.* Hieronymus, *Non dixit similiter stipendia iustitiæ: quia non est, antequam remuneratur in nobis: non enim nostro labore quæsita est: sed Dei munere condonata.* Theodoretus, *Hic non dicit mercedem, sed gratiam. Est enim Dei donum, vita æterna, Etsi quis enim summam & absolutam iustitiam præstiterit, temporalibus laboribus æterna in æquilibrio nō respondent.* Sed reliquis prolixior Chrysostomus, Εἰ πῶς ὀψώνια ἁμαρτίας, ἐπὶ τῶν χρηστῶν τῶν αὐτῶν ἐτήρησε τάξιν. οὐ γὰρ εἶπεν, ὁ μισθὸς τῶν καταρθωμάτων ὑμῶν, ἀλλὰ τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ. δεικνὺς, ὅτι οὐκ οἰκόθεν ἀπολαγήσαν, οὐδὲ ὀφειλὴν ἀπλαῦν, οὐδὲ ἀμοιβὴν, οὐ καταδοῦν πόνων, ἀλλὰ χάριν τοῦτο πάντα ἐγένοντο, *Postquam dixisset stipendia peccati, de bonis non eundem seruauit ordinem: neque enim dixit, merces benefactorum vestrorum: sed donum Dei, ostendens: non eos à se liberatos esse: neque debitum accepisse, aut retributionem, remunerationemue laborum: sed omnia gratis obuenisse.* Sed & Caietanus, *Non dicit, quod stipendia iustitiæ vita æterna: sed, donum Dei, vita æterna: vt intelligamus non ex nostris meritis, sed ex gratuito Dei dono assequi nos pro fine vitam æternam.* Etiam Cusanus, *Notandum est hic, quod innuit Apostolus, ex iustitia peccato deberi mortem (nomen enim stipendii videtur hoc significare) vitam autem æternam esse ex dono Dei gratuito.*

VII. Huius argumēti solutionē omnes mutuātur ab August. Enchi. c. 107. Et Epist. 105. Et de Gratia & Libero arbitrio, c. 8. & 9. Duo ergo dicere Augustin. primo potuisse Apostolū recte dicere, stipendiū iustitiæ vita æterna, sicut dixit, stipendium peccati mors: hanc a. confessionē causam nostrā penitus iugulare: Secundo, nō esse dictū, stipendiū iustitiæ vita æterna, sicut stipendiū peccati mortē, ne quis existimaret, ita nos ex nobis habere iustitiā, sicut ex nobis habemus peccata. Itaque gratiā dici vitā æternā: nō quia nō sit merces meriti: sed quia ipsa merita habeamus ex gratia. Quomodo, si quis (inquit Costerus) vir diues cuipiam pauperi exiguo pretio insignem & amplam domum vendat, eidemque gratis donet pecuniam ad soluendum, vere dici poterit domum donasse, cuius pretium dederit, & vendidisse, quia propter pretium dederit,

VIII. Sed hæc nodum non soluunt: Concedimus potuisse Apostolum dicere, stipendium iustitiæ esse vitam æternam: sed negamus inde quicquam concludi aduersum nos. Causa gemina. Primo, quia iustitia nominaretur indefinite, quam nos cognoscimus, supposito pacto, dici posse meritum vitæ æternæ. At nos in hac disputatione de Merito, non indefinite iustitiam consideramus, sed definite opera iustorum, quæ nulla sunt digna titulo eius iustitiæ, cuius stipendium est vita æterna.

IX. Secundo, quia stipendium, æque ac merces, sumi potest proprie & improprie, nostrum argumentum non est à stipendio, sed est à gratia, cuius nō est eadem ratio. Patet, quia, vt vita æterna possit appellari, & ὀψώνια & χάρισμα: at mors ὀψώνια quidem, at non potest χάρισμα dici. Nimirum, quia vere & proprie est stipendium, cui nihil commune cum gratia. Itaque certum eam vitam, quæ stipendium est iustitiæ, quia sit etiam donum, alia quadam ratione stipendium dici, quam mortem. Est autem ratio, propter quam mors stipendium est, hæc, quod peccato debeatur ex merito condigno: Ergo non debet vita dici stipendium, quod iustitiæ debeatur ex condigno: alioquin æque mors χάρισμα diceretur ac vita: quemadmodum æque vita diceretur ὀψώνιον, ac mors. Augustinus Enchir. c. 107. *Stipendium pro opere militiæ debitum redditur, non donatur: gratia vero, nisi grata sit, gratia non est.*

X. Esto igitur sane vita æterna stipendium: dummodo non debitū: ideoque improprie stipendium. Quamuis non frustra obseruet pius, nunquam à Spiritu Sancto ita dici: sed tantum mercedem, & addat, ab Ambrosio disperari stipendium & mercedem. Epist. 1. *Alia est merces liberalitatis & gratiæ: aliud virtutis stipendium, alia laboris remuneratio.* Sed concedamus tamen aliquid Augustino: & demus aliquo modo stipendium dici: at non tamen stipendium ex debito: ideo neque ex merito condigno: quia hoc sine debito ne Papistæ quidem vllum agnoscunt.

XI. Indidem illustratur alterum Augustin. caput. Ne quis existimaret, ita nos ex nobis habere iustitiam, sicut peccata. Esto sane, inquam. Sed negatne Augustinus, ideo dictum, ne quis putaret debitam vitam æternā, ita vt debitam mortem? siue non magis donum esse? Enimuero illud Augustino bene est assertum, aduersus Pelagianos: sed optime etiam hoc nō negatū. Quid ergo Papistis illud prodest? Nisi forte oppositum isti esse doceant: & non posse vitam esse donum, si bona opera nobis non sunt à natura.

XII. Amplius dico: vtrumque Augustinus agnouit, & illud quod vrgent Papistæ, & quo nos volunt oculos, mentemque aduertere: & hoc quod nos disputamus, *Intelligendū est igitur:* inquit, *et ipsa hominis bona merita esse Dei munera, quibus cū vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur?* Et clarius de Gratia & Libero arbitrio, c. 9. *Cum posset dicere, & recte dicere, stipendium autem iustitiæ vita æterna: maluit dicere, Gratia autem Dei, vita æterna: vt hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere.* Viden' duo distincte? primum merita bona esse Dei munera. Alterum, his ipsis meritis reddi vitam, tanquam gratiam. Adde, at gratia, si non est gratis, non est gratia: vt concludas: ergo ipsis meritis, quæ nobis nulla sunt nisi donata, ipsa vita æterna redditur tanquam gratia. Atque ita habemus à Deo geminam gratiam, vnam, in collatione bonorum operum: alteram in largitione vitæ: ita vt sit, non stipendium pro gratia, quod Sophistæ volunt: sed gratia pro gratia, quod nos adstruimus.

XIII. Itaque Costeri somniationem securis licet ridere: mito quodam artificio, simul & venditam, & donatam domum imaginantis. Enimuero scimus, & nos interdum fingi posse similitudines: sed tam absurde fingi posse, nunquam speraūimus. Monstrum illud quidem videtur nobis in rerum natura, propria sua pecunia, alteri cuipiam posse dominum ædes vendere. Quātus viuus fuerit inter Iurisconsultos Costerus, nescio: sed eiusmodi venditionis, in mentem vnquam venisse Trebonianis, Cuspinianis, ausim sacramento contendere. Ille viderit: nos interim nostra curabimus.

XIV. Et illos in Anticyram relegabimus, qui nolunt ipsam per se vitam æternam esse gratiam, sed tantum per accidens, siue per aliud, nimirum, quia ipsa quidem merito acquiratur operum: sed ipsa opera nostra sint ex gratia, quo commento, qui fit vt non videant delumbari oppositionem mortis & vitæ? Nam profecto mors nō sic est stipendium peccati, ꝗ ipsum peccatum sit stipendium: sed potius, quod ipsa merito debeatur peccati. Quis vero sanus ferat, morti vitam, stipendio gratiam opponi, & peccato iustitiam, & tamen mortem esse stipendium peccati, at vitam non esse gratiam iustitiæ: sed ipsam iustitiam gratiam: iustitiæ autem meritum vitam? Vix Chorœbo tanta amentia.

CAP. XIV.

De Misericordia.

I. SEcundum nobis argumentum à misericordia Dei: Si salus est à misericordia: ergo nō à meritis. Probatur antecedens: Psa. 103. *Qui coronat te misericordia & miserationibus.* Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Ad Tit. 3. *Postquam bonitas, & erga homines amor apparuit Seruatoris nostri Dei, non ex operibus iustis, quæ fecimus nos, sed ex sua misericordia seruauit nos.* Prim. Petr. 1. *Secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi, ex mortuis.* Ad Gal. 6. *Quicunque hanc regulam sequuti fuerint, pax super illos, & misericordia.* Exod. 20. *Faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.*

II. Consequentiæ autem necessitas est euidens: quia misericordia ipsa etiam est gratuita, non debita: quod patet, tum quia Paulus se peccatorem dicit esse consequutum misericordiam, 1. ad Tim. 1. *Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consequutus sum.* Similiter ad Rom. 11. *Vos quondam non paruistis Deo, nunc autem estis misericordiam consequuti.* Tum, quia in illa ad Ephesios operibus opponitur misericordia, *non ex operibus, sed ex misericordia.*

III. In soluendo varius labor. Bellarmini ex August. geminus. Primo beatitudinē tribui misericordiæ, nō quia nō sit vera merces meriti: sed quia meritum ipsum ex misericordia: nimirum, vt in præcedente argumento. Secundo, in ipsa coronatione meriti, necessariam esse misericordiam, quæ peccata venialia remittat. Porro hanc remissionem, & deberi bonis meritis Sanctorum, teste Augustino, vt in iudicio non tam donetur, quam reddatur: & tamen si non redderetur meritis, esset que pura misericordia: non impedire rationem meriti in bonis operibus iustorum.

IV Sed de priori iam confectum negocium. Est tamen insuper considerandum dici à Paulo, *ex misericordia seruauit nos:* quo vix dici potest quicquam fortius ad rem præsentem. Enimuero fingamus gratis sic datam à Deo primam gratiam, vt inde meritis iam sequentibus acquirenda sit vita æterna: at certè ludicra phrasis erit, si dicas, *seruauit nos.* Non enim ille seruatus, qui initia tantum salutis habet: neq; seruatus ex misericordia, cui tam sint post eam misericordiā necessaria merita, vt possit illa absq; his fieri irrita: nam ita volunt Papistæ. Tolerabilior phrasis esset, si de iis loqueretur Apostolus, qui iam peruenissent in regnū: sed ille profecto de iis sermonem habebat, qui essent adhuc in hac vita. Nunquam ille dicetur princeps ὃς δοῦναι dedisse ei, cui equum dederit, adhuc in carceribus posito: sed vere diceretur, si & equum concederet, & ipsam simul etiam coronam, quasi conceptis verbis: Do tibi illam coronam, quam in meta vides: do & hunc equum, vt ad eam peruenias. Hîc, inquam, vere dicatur dedisse: non ille qui dixerit: En tibi equum: tu deinceps curre quantum in tē erit, vt aliis præripias, nemo tibi: hîc, inquam, non dicetur dono dedisse coronam: ne Deus quidem dicendus esset vitam æternam, siue salutem.

V. Est & alterum momentum non exiguum: quod in futurum dicatur, *Misericordes misericordiam consequentur.* Et in futurum Paulus, *Qui hanc regulam sequuti fuerint, pax super illos, & misericordia:* nō est n. dubiū esse votum, faustamq; precationem, quæ nonnisi in futurum esse potest: vnde est Iustiniani paraphrasis, *ij veræ pacis fructum, & misericordiam consequentur.* Quo nihil ineptius fingi potest, si misericordia est duntaxat in prima gratia: quorsum enim aut promittitur in futurum, aut vouetur id, quod iam obtinetur? Misericordes enim esse, aut regulam Euangelij sequi, non possunt ex puris naturalibus, sed ex vi Spiritus, quæ prima est gratia. Quod si absurdum est, fingere tam absurde loquutum Spiritum Sanctum, & manifestum tamen post primam gratiam pollicitum esse misericordiam, non potest non ineptissima esse hæc prima solutio.

VI. Denique Augustinus de Correptione & Gratia c. 13. *Numerus ergo Sanctorum per Dei gratiā regno prædestinatus, donata sibi etiam vsque in finem perseuerantia, illuc integer perducetur, & illic integerrimus, iam sine fine beatissimus*

simus seruabitur, adhærente sibi misericordia. Saluatoris sui, siue cum conuertuntur, siue cum prælianturſ, siue cum coronantur. Nam & tunc esse illis Dei misericordiam necessariam, Sancta Scriptura testatur, vbi Sanctus Dauid, de Domino Deo suo dicit animæ suæ : Qui coronat te miseratione, & misericordia. En tibi tres gradus, conuersionem, prælium, coronam. En tibi in singulis necessariam misericordiam! Non ergo tantum in prima gratia. Etsi coronæ, præter conuersionem, & prælium, necessaria misericordia : non ergo ex misericordia, corona, eo tantum, quod præcesserit misericordia in conuersione, aut prælio. Quare vndique ineptum effugium illud est.

VII. In altero, quis pudor est, Augustinum dicere præter coronationem meriti necessariam esse remissionem peccatorum venialium? Manifestarium est geminum mendacium : & quod venialia nominentur : & quod hæc remissio dicatur præter coronationem meriti. Atqui Augustinus & peccatorũ meminit duntaxat, non venialium : & non præter coronationem : sed tunc cum coronantur, necessariam dixit misericordiam. Audi loquentem illo eodem capite, *Dicit etiam Iacobus Apostolus : Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiã: vbi ostenditẽt in illo iudicio, in quo iusti coronantur, iniustiq; damnantur, alios cũ misericordia, alios sine misericordia iudicandos. Propter quod ẽt mater Macchabæorũ, filio suo dicit, vt in illa miseratione cũ fratribus tuis te recipiam. Cum enim rex iustus sicut scriptum est, sederit in throno, non aduersabitur ante eum omne malum. Quis gloriabitur, castum se habere cor : aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Ac per hoc etiam ibi Dei misericordia necessaria est, qua fiet beatus, cui nõ imputauit Dominus peccatũ.*

VIII. Deberi meritis bonis hanc remissionem aliud est Bellarmini mendacium. Augustini verba sunt, *Sed tunc pro bonorum operum meritis iusto iudicio etium ipsa misericordia tribuetur.* Deberi non dicit : dicit tantum tribui. Sed illud ipsum, quid sit, audi statim interpretantem, *Cum enim dicitur iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam : manifestatur in his, in quibus inueniuntur bona opera misericordiæ, iudicium cum misericordia fieri : ac per hoc etiam ipsam misericordiam meritis bonorum operum reddi.* Nimirum, hæc est non meriti condignitas, sed consequentiæ necessitas: quam supra obseruauimus ab Augustino, meriti nomine designari, laxiori, molliorique significatione. Ergo, per hoc misericordia meritis redditur, quod, in quibus inueniuntur opera bona, iudicium fiat cum misericordia, quod nemo nostrum non concesserit.

IX. Sed, inquit, etsi non deberetur, sed esset pura misericordia, tamen hæc remissio non impediret merita operum. Sed hoc falsum: primo, quia, qui in vno peccat, fit omnium reus : tum, quia hæc remissio peccatorum, non his, illisue aliquot operibus necessaria, sed cunctis : quandoquidem euicimus, nullo excepto, omnia esse peccato vitiata, omnia esse peccata: ideoque non posse pertingere ad meriti rationem.

X. Porsanus negans sequi, si ex misericordia, ergo non ex meritis, docet posse simul consistere misericordiam, & merita, primo ex parabola talentorum, Matth. 25. Esse enim talenta data ex misericordia : sed ex iis deinceps fœnus esse merita. Nempe igitur primam gratiam dari ex mera liberalitate : quæ vero hanc consequuntur, ex meritis. Secundo ex Psal. 25. *Omnes viæ Domini misericordia, & veritas.* Et 85. *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi.* Nam veritatem esse iustitiam : quandoquidem vtraque inferat conformitatem, siue analogiam.

XI. Sed parabola illa talentorum, nulla sui parte misericordiam docet: sed tantum iustitiam. Nam ne ipsa quidem talenta dicuntur donata : sed tantum distributa, non in vsus proprios : sed in vsus domini : quomodo videmus quotidie à mercatoribus suis ministris æra committi, quo paradigmate Porsanus ipse vtitur. Itaque diserte, *Ecce habes quod tuum est.* Quo significatur, ei domino, non tantum redditam rationem fœnorum : sed etiam restituta talenta. Itaque, probatur hinc quidem seueritas iustitiæ, sed non probatur itidem misericordia. Propterea aliena est parabola ab hoc instituto. Præterea, si misericordia esset distributio talentorum : at certe redditio rationum, non est misericordia. Atqui, in mysterio salutis ostendimus ex Augustino, non in conuersione tantum, aut in prælio : sed etiam in coronatione necessariam esse misericordiam. Quare rursus hæc parabola non est ad rem: sed illa potius, vbi auditis rationibus, quicquid debebatur condonatum est: nam hæc misericordiam stabilit, tum in largitione pecuniæ: tum in redditione rationum.

XII. Quod attinet ad misericordiam, & veritatem, concedimus veritatem esse iustitiam : sed non contra, omnem iustitiam esse veritatem. Est enim iustitia, quæ generaliter significat actuum cum æqua ratione conuenientiam: quomodo Deus sine dubio non est non iustus, etiam, cum non punit peccata. Est & iustitia, quæ peculiariter significat distributionem præmiorum, & pænarum secundum merita. Porro illud, *Omnes viæ Domini, misericordia & iustitia*, duplici notione posse exponi, vel distributiue, vt omnes viæ Domini sint, aut misericordia, aut iustitia. Vel coniunctim, vt singulæ viæ, sint simul & misericordia, & iustitia.

XIII. Si coniunctim intelligas, verum erit axioma, de iustitia generaliter sumpta : vnde Prophetæ nominata est veritas potius : quæ non peculiariter seueritatem retributionis denotat : sed potius constantiam in dictis, & promissis. Ac tum certum est, salutem fidelium esse misericordiam, & veritatem : nimirum, quoniam eorum Deus miseretur secundum promissiones. Itaque hinc ad merita, nulla consequentia est legitima.

XIV. Sin autem iustitiam intelligas, seueritatem distribuendi: tum falsum est, omnes vias Domini esse misericordiam simul; & iustitiam. Nam salus certe fidelium sic est misericordia, vt non sit iustitia. Alioquin, cur tam ardenter deprecarentur fideles iudicium Domini? Cur negarent posse quenquam in eo iudicio consistere? Imo, vt ne sis nescius: ipsis illis Psalmis, nonnisi misericordiam in se Propheta precatur, *Reminiscere miserationum tuarum, Domine, & misericordiarum, quæ à seculo sunt. Domine iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Secundum misericordiam tuam, memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine. Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.*

XV. Iam vero, si distributiue intelligas, verum erit axioma, de seueritate iudicii. Sed nulla conclusio: nam erunt viæ Domini misericordia, quæ deducant ad salutem. Erunt eædem iustitia, quæ amandant in damnationem. Vnde Psal. 25. non simpliciter dixit, *Vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas*: sed addidit, *requirentibus testamentum eius, & testimonium eius.* Quæ verba sic explicat Bellarminus, *Addit ad id, quod dixerat, non solum à Deo dirigi mansuetos, sed omnia opera Dei erga tales homines, esse misericordiam, & veritatem, id est, iustitiam, quatenus iustitia accipitur pro fidelitate, & veritate, quæ, quod promittitur, implere facit.*

XVI. Augustinus tamen Epist. 105. Veritatem intellexit iustitiæ seueritatem : sed locum exposuit distributiuè. Verba hæc sunt, *Quæ sunt viæ inuestigabiles, nisi de quibus in Psalmo canitur. Vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas. Igitur inuestigabiles sunt misericordia, & veritas eius : quoniam cuius vult, miseretur, non iustitia, sed misericordia gratia: & quem vult obdurat, non iniquitate, sed veritate vindicta. Quæ tamen misericordia, & veritas ita sibi occurrunt, quia scriptum est, misericordia & veritas obuiauerunt sibi: vt nec misericordia impediat veritatem, qua plectitur dignus, nec veritas misericordiam, qua liberatur indignus.*

XVII. Hæ solutiones erant argumenti: nunc peculiaris locorũ quorũdam explicatio. Pererius disput. 9. in 6. ad Rom. locũ illũ, *Coronat te misericordia*, bifariam soluit. Primo. Quasi vero, inquit, non sicut Dauid retributionem vitæ æternæ, appellauit coronam misericordiæ, ita B. Apostolus eandem vocarit coronam iustitiæ, vt debitã meritis hominũ. Secundo, non dissimulabo, inquit, & aliam illius loci esse posse sententiam. Verbũ n. *coronandi*, significat vndiq; hominẽ, ad similitudinẽ coronæ, circũdare, vel circũtegendo eũ, & à malis omnibus seruando, vel omni ex parte bonis replendo, & cũmulando. Itaque coronat te misericordia, significat, te sua benignitate circumdat, bonorum suorum copia, ex omni parte animum tuũ replens: vel protectione sua, & præsidio vndique circumdat, & circumtegit.

XVIII. Sed in priore membro, scimus vt à Paulo nominatam coronam iustitiæ : ita à Pererio, temere insertum esse glossema, *Vt debitam meritis hominum.* Antea nemini ex Veterum consensu coronam iustitiæ, dici, non vt esset corona iustitiæ Paulinæ : sed Dei. Et iustitia quidem Dei, non illa, quæ iudicat secundum merita operum : sed secundum quam Deus constans est in promissionibus: quæq; debitum inserat, non ex merito, sed ex mera gratia. Quanquam non dissimulo, posse etiam coronam dici iustitiæ, quomodo corona lauri, apii, significat ex lauro & apio. Coronam ergo iustitiæ, cum plene perfecteq; traducetur Paulus in illam vitam, vbi iustitia est sine peccato. Si Esaiæ 28. *Corona superbiæ*, cum ipsa superbia quis coronatur. Et ibid. *Corona gloriæ.* Ezech. 16. *Corona decoris*, Iacob. 1. *Corona vitæ*, vbi nimirum gloria, decor, vita, est corona, siue στέφανος.

XIX. In altera parte, non est quod contendamus de vocabulis: *Coronandi* significationem agnoscimus. Et vero Caluinus, iam diu ante Pererium, his verbis Prophetæ sensum expresserat, *Dicit nos illis circumdari, quasi diceret, à fronte, à tergo, ab vtroque latere, sursum & deorsum immensam gratiæ Dei abundantiam nobis præsto esse, vt nullus locus ab ea sit vacuus.* Sed & Beza εὐδοφορήσας, *Beneficium singularis bonitatis, ac commiserationis testibus exornat.* Veruntamen quid hæc explicatio nostro noceat argumento, oblitus est Pererius indicare : An ille nos putauit tam εἰκῆ ἐῶς. vt cum audiremus, vndique præsto esse misericordiam diuinam, excipiendã putaremus salutem æternã?

XX. Quanquam poteramus esse Pererio molesti, ipsumque obruere multitudine testium, qui hoc loco coronam nullam intelligunt, nisi salutis. Augustinum iam vidimus. Adde Arnobium, *Coronat nos in regno suo.* Hieronymum, *Dat victoriam, vt tribuat palmam*, Theodoretum comparantem cum *Gratia saluati estis, & hoc non ex vobis.* 2. ad Ephes. Et cum *Ideo misericordiam cõsequutus sum.* Prior. ad Timoth. 1. vt concludat, *Gratia igitur, & benignitatis est coronam.* Remigium, *Coronat in futuro.* Lombardum, *Coronat te iam incorruptum, quod non est, nisi ab eius misericordia.* Aiguanum, *Nos redemptos coronat in gloria, & hoc facit misericordia, & miserationibus, quia corona gloriæ excedit merita nostra.* Bellarminum, *Coronans te corona gloriæ.* Mitto alios.

XXI. Porsanus locum ex 20. Exodi, sic explicat. In gratiam eorum, qui obseruant mandata, promitti misericordiam in mille generationes. Itaque meritum esse eorum, qui seruant legem : sed misericordiam posteritatis: quia præter Christum nemo possit mereri pro aliis.

XXII. Sed hic conatus absurdissimus est. Nam verba sunt diserta, *Visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me : & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Quia locus effugii? Faciens misericordiam his, qui diligunt me: & néget Porsanus ad hos pertinere misericordiam? Imo vident omnes sensum esse, Deum non illis tantum facturum misericordiam : sed & eorum posteris. Nam & in altero membro, quis existimet à solis posteris sumi pœnas peccatorum: non vero ab ipsis peccantibus? Adde alios locos. Ps. 25. *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas, requirentibus Testamentum eius, & testimonia eius.* Ad Gal. 6. *Quicunque hanc regulam sequuti fuerint, pax super illos & misericordia:* Falsum est igitur, non esse misericordiam in eos, qui operantur.

CAP. XV.

De Hæreditate.

I. TErtium argumentum: Quod meritis acquiritur, hæreditatis iure non obuenit: at vita æterna obuenit hæreditatis iure: Ergo eadem meritis non acquiritur. Minor ex infinitis Scripturæ locis constat. Nam primo ipsa salus *hæreditas* dicitur, ad Galat. 3. *Si ex lege est hæreditas, non iam ex promissione.* Ad Ephes. 1. *Qui est arrhabo hæreditatis nostræ. Vt sciatis, quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius in Sanctis.* Quinto, *Nullum scortatorem, aut impurum habere hæreditatem in regno Christi, & Dei.* Ad Colos. 3. *Scientes vos à Domino recepturos mercedem hæreditatis.* Ad Hæbr. 11. *Promissionem accipiant æternæ hæreditatis, qui sunt vocati.*

II. Inde & fideles *heredes* κληρονόμοι. Ad Rom. 8. *Si filii, etiam heredes : heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Ad Galat. 3. *Quod si vos estis Christi nempe Abrahami semen estis, & secundum promissionem heredes.* Ad Tit. 3. *Vt iustificati illius gratia, heredes efficeremur, secundum spem vitæ æternæ.* Iacob. 2. *Heredes regni, quod promisit iis, qui ipsum diligunt.*

III. Sed, & obtinere salutem, κληρονομεῖν, tanquam hæreditatem possidere, siue hæreditatis iure, quod tamen Vetus Interpres vertit simpliciter, *possidere* Matth. 19. *Vitam æternam* κληρονομήσει. Et 25. κληρονομήσατε *paratum vobis regnum à iacto mundi fundamento.* Ad Hebr. 1. Διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν, *propter eos, qui heredes erunt salutis.*

IV. Maior

IV. Maior est etiam perspicua, tum ex natura hæreditatis, & oppositione hæredis, ac mercenarij: tum ex Paulo ad Galat. 3. *Nam si ex lege est hæreditas, non iam est ex promissione. Abrahamo vero per promissione gratificatus est Deus,* nimirum hæreditatem. Sed & 3. ad Titum, *Vt iustificati illius gratia hæredes efficeremur.*

V. Hoc argumentum Bellarminus obiter tantum attigit, agens de mercede, cap. 2. ex professo nusquam tractauit. Sed non obliti sunt Salmero, Soto, Tapperus, Costerus. Negant omnes maiorem. Salmero: Dicendum est per gratiam verè nos hæredes reddi: sed non absolutè: quia subiungit, *Si tamẽ compatimur, vt & conglorificemur.* Et iustis dicitur, *Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, esuriui enim, & dedistis mihi manducare.* His locis ostenditur, hæreditatem adiri, non tantum ratione filiationis, sed etiã ratione obedientiæ, & meritorum. Præterea, aliud est vita æterna, aliud possessio vitæ æternæ: quemadmodum aliud terra promissa, aliud ius ad illam: sed vt ius, & titulum terræ illius filijs Israel dono dedit Deus, ad cuius tamen possessionem non sunt ingressi, nisi fortiter debellando inimicos, & eos de terra expellendo: ita in gratia, quæ gratis data, datur quidem ius, & actio ad gloriam simul cum gratia: at ingressum in vitam æternam, & regni cœlestis possessionem, nemo nisi bonorum operum, & patientiæ meritis consequi potest.

VI. Sed maior sua per se luce patet. Nam etsi fatear, quod Iustinianus obseruauit in 8. ad Romanos, apud Hebræos verbum ירש commune esse hæreditati, ac alijs possessionum generibus: vnde factum, vt apud Septuaginta, κληρονομεῖν laxius sit, vt Psal. 38. δίκαιοι κληρονομήσουσι γῆν, octogesimo tertio κληρονομήσομεν ἑαυτοῖς τὸ ἅγιον τοῦ Θεοῦ, & alias. At Paulus, nullam ambigendi reliquit ansam, qui dixit, *Si filij, hæredes*, vt constaret non quãlibet hic designari, sed eam possessionem, quæ hæreditas est.

VII. Et vero placet Salmeronis in eum locum annotatio, digna certe, quam haberemus ab homine non Iesuita, *Obserua*, inquit, *de filijs adoptionis esse sermonem, nam inter homines illatio hæc non fallit, ad hoc enim adoptantur, vt in bonis adoptantis succedant.* Cui & Iustinianus addit calculum, *Apte vero hæreditatis nomine vtitur, quippe alludens an ius adoptionis, qui enim in alienam familiam adsciscuntur, iure adoptionis ad hæreditatem adoptantis vocantur.* Quod & ante eos indicabat Caietanus. *Ad hoc enim adoptatur quis in filium, vt sit hæres.* Hinc enim constat, quanta sit vis eius iuris, quod nos hæreditatis dicebamus: & quanto proinde potentius sit inde ductum argumentum nostrum. Nam certè adoptio nostri à nullis est meritis. Quod si hæreditas ab adoptione: Ergo à nullis meritis.

VIII. Verum illud quid est non absolute nos hæredes reddi? Aut enim sensus est, non esse filiationem solam causam hæreditatis: sed etiam alias oportere concurrere: vt cum dico, qui seminauit largiter, vbertim metet, si tamen tempestas concurrerit, & soli bonitas, significo vbertatem messis, à variis causis pendere, quarum aliæ absque alijs nihil efficiant. Aut aliter, esse quidem filiationem solam per se causam hæreditatis: at tamen ipsam non esse solam, sed additam habere conditionem, vt is qui filius est, ac proinde hæres, suo fungatur officio, quomodo si dixerim, ei cui ampla seges est, in campis vberem messem futuram, si falcem diligenter exerceat.

IX. Nam illo nos quidem priore modo fateamur, ostendi posse opera esse merita hæreditatis: ac proinde hæreditatem non esse merè à iure filiationis. Sed quis sanus concesserit hoc modo filios esse hæredes? Nam si ita esset, ius non acquireretur in ipsam hæreditatem, donec reapse concurrissent omnes causæ, neque hæres quisquã dici posset, statim ac filius, etiam in cunis. Quomodo in tyrannide Papistica, quia id inualuit, vt ad perficiendum Imperatorem, & electionem oporteat, & Papæ consecrationem concurrere, qui electionem solam habent, quod non paucis iam accidit, ij non ausint sese Imperatores appellare, sed tantum designatos, siue electos. Atqui hæreditas nõ ita est: nam tam plenum ius est hæreditatis à filiatione, vt etiam nondum impleta conditione alia vlla, filius hæres dicatur. Gen. 16. *Qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem.* Ad Gal. 4. *Quandiu hæres est infans, nihil differt à seruo, quamuis sit Dominus omnium.*

X. Altero autem modo concedimus sanè non fieri nos absolutè hæredes, verum addi conditiones, cuiusmodi illæ sunt, quæ denotantur in locis recitatis. Necesse est enim, eum, qui fit hæres, ei esse obsequentem à quo adoptatur. Sed has conditiones nemo sanus concedet esse causam hæreditatis, quæ potius conditiones non sunt, nisi suppositа hæreditate, id est, filiatione. Loquar apertius. Debet adoptatus in hæredem, omne genus obsequij deferre adoptanti. Sed nego his illum officijs mereri adoptionem: contra potius ab adoptione oriri hoc debitum: neque enim aliter teneretur hæc officia præstare: adeoq; necesse est, hanc adoptionem præcedere hæc omnia officia.

XI. Esto sanè aliud hæreditas, aliud hæreditatis aditio: siue vita æterna, & possessio vitæ æternæ, fuerit Israelitis non adeunda possessio terræ promissæ, nisi fortiter inimicis debellatis. Sed quid hoc ad rem? Nos enim quærimus, vtrum à Deo mereantur fideles vitam æternam: non vtrum aliquid ijs sit faciendum, antequam ea vita fruantur: imo vt ea vita fruantur. Quomodo, si quærerem, vtrum à Deo Israelitæ sint meriti terram promissam. Nam si quis respondeat meritos esse, quia fortiter pugnarint, quis non rideat, quãdoquidem iam antè data illis esset terra, quam illi vel cogitarent pugnare? Addo, quando ne vllum quidem ius pugnandi habuerint, nisi suppositа ea donatione? Qui igitur labores insumuntur in adeunda hæreditate, non sunt hæreditatis merita: Sunto sanè conditiones hæreditatis, quantum quisque volet: vt nõ sit absolutè factus hæres: hoc est, quasi nihil ipse præstiturus, hi anti duntaxat ore, expectaret offam. Sed iterum dico, nemo sanus agnoscet esse merita, quibus acquisita sit hæreditas.

XII. Atque hactenus Salmero: Porsanus negat legitime concludi. Datur vita æterna hæreditatis iure: ergo non meritis. Quia hæc etiam valeret: Vita æterna merces est: ergo non est hæreditas: quæ tamen est falsa.

XIII. Sed nos, vt alias, negamus eandem esse rationem: nimirũ &, quia magis sit vita æterna hæreditas, quam merces. Et quia, non vt merces alia ex gratia, alia ex merito, sic hæreditas: sed tantum ex gratia: denique, quia non vt filij, sic etiam mercenarij fideles sunt.

CAP. XVI.

De Seruis inutilibus.

I. QVartum argumentum, ex Lucæ c. 17. *Quis vestrũm habet seruum arantem, aut pascentem, qui regressus ab agro, dicat statim, Accede, & discumbe? Imo nonne dicet ei, Para id quod cœnem, & præcinctus ministra mihi vsque dum edero, ac bibero, & postea edito tu, & bibito? Num gratiam habet seruo illi, quia fecit, quæ ipsi fuerant præcepta? non puto. Ita & vos, cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus: nam quod debuimus facere, fecimus.* Consequentiæ vis: Nullus seruus, qui ab hero meretur, est inutilis. At quicunque homines faciunt omnia præcepta, sunt inutiles serui. Ergo iidem non merentur ab hero. Probatur assumptio. Qui debent id omne quod faciunt, nihil merentur. At homines facientes omnia præcepta, faciunt quod debent. Ergo non merentur.

II. Porro, perspicuum est, non ideo asserere Christum, fieri à quoquam omnia, quæ sunt mandata: sed tantum ponere hypotheticῶς, at non simpliciter concedere. Quod annotauit Iansenius, *Quod autem præcipit, vt dicamus nos seruos inutiles, cum omnia præcepta adimpleuerimus, non sic accipiendũ, quasi quis sit, qui omnia adimpleuerit (in multis enim, inquit Iacobus, offendimus omnes) sed sensus est, etiamsi feceritis omnia, tamen agnoscite vos seruos inutiles:* Quare geminatur argumentum. Nam, si etiam tum futuri sumus serui inutiles, si impleremus omnia: quanto magis, cum non implemus? Expressit idem Iansenius, *Quo significatur*, inquit, *quam inutiles nos debeamus reputare, & nos deprimere, cum aduerterimus nos omnia nobis præcepta non impleuisse.* Et Stella, *Docemur hic, omnem præsumptionem & vanam gloriam vitare. Si enim hi se seruos inutiles reputare debent, qui omnia impleuerunt præcepta, quid nobis incũbit, qui in tam multis offendimus, & ea ipsa, quæ forsan implemus præcepta, tam imperfecte implemus, ita vt iuxta Esaiam, Vniuersæ iustitiæ nostræ sint quasi pannus menstruatæ.* Quare nemo suis operibus quantumuis bonis apud Deũ meretur. Iam enim disputatum est, neminem implere omnia.

III. Magna vis argumenti. Et vero Papistæ senserunt: adeo vertunt se in omnes facies, vt eludant. Non ij tantum, qui ex professo controuersiam disputant, sed & qui Commentaria scripserunt in Lucam. Didacus Stella, Iansenius, Salmero, Maldonatus, Barradas: quibus adde Stapletonum in Antidotis Euangelicis: & Renatum Benedictum in Panoplia. Quorum Sophismata, vt ordine quodam excutiam, incipiam ab ijs, qui de modo dicendi contendunt: inde deueniam ad eos qui de re agunt potius.

IV. Priores videntur assumptionem negare: vt ad verba Christi respondeant, non dixisse, cum feceritis omnia, serui eritis inutiles: sed dicite, Serui inutiles sumus. Nimirum, *Iactationem prohibet*, inquit Stapletonus, *rem non negat.* Maldonatus, *Sunt qui non tam verè, quam humilitatis caussa dictum interpretari videantur, quasi id tantum Christus agat, vt doceat nos non efferri animo, cum omnia, quæ præcepta nobis sunt, seruauerimus, fecisse enim tantũ quod debebamus, quin humiliter de nobis sentire oportere, existimareque, aut nihil fecisse, aut nulla dignos esse mercede.* Hanc solutionem Bellarminus quarto loco ponit: Costerus primo.

V. Interpretationem fulciunt primo autoritate Veterum. Etenim in hanc sententiam, inquit Maldonatus, hoc testimonio vtuntur Origenes, hom. 12. in Iosue: Cyprianus 3. ad Quirinum c. 51. & lib. 5. Epist. 6. Chrysostomus in sermone de pœnitentia & confessione (Bellarminus addit, homiliam in illud, *Elatum est cor Oziæ*) Hieronymus Epistola ad Ctesiphontem contra Pelagianos: Bernardus serm. 4. in Psalm. 90. & Epistol. 142. Cyrillus apud Thomam: Theophylactus. Deinde: quia seruos esse vtiles alibi Christus docuit: Matth. 25. *Euge serue bone & fidelis.*

VI. Sed nihil potuit indignius Christo cogitari, vt tantum verbis præscripserit, non etiam cordi: siue, vt contra rei veritatem discipulos instituerit loqui. Et quidem apud Deum. Etsi ne apud homines quidem liceat: sed apud Deum tamen, illud vero omnem excedit absurditatem. Vasques, *Cum humilitas non debeat mendacio foueri, non videtur conueniens medium ad humilitatem comparandam dicere, Serui inutiles sumus, quando re vera aliquid vtilitatis præstamus.* Itaq; nos potius censemus mentem Christi hanc esse, Dicite, id est, confitemini id quod res est. Quomodo etiam alibi, præcipit, vt *Sermo noster sit, Est, est, Non, non*, hoc est, vt sit verax, ac proinde conformis rei de qua loquimur. Non potest autem esse conformis, si, cum verum sit nos esse seruos vtiles, prædicemus tamen nos seruos inutiles.

VII. Præterea, eam rationem Dominus reddit, quæ non à modestia desumitur, sed à rei ipsius veritate, *Serui sumus inutiles, quia, quod debuimus facere, fecimus.* Est enim non laruatæ cuiusdam πεπιοφεγσωνῆς hęc simulatio: sed vera conditionis seu agnitio. Erat hic status seruorum, vt non quemadmodum mercenarij, certis quibusdam terminis definitum haberent seruitium: sed, vt ita dicam, penè infinitum: saltem hoc sensu, vt nullum genus sit officij aut laboris, quod illi non debeant. Quod ipsum satis exprimitur in parabola. Nam, qui mercenarius conducitur ad arandum, aut pascendum pecudes: cum ararit, aut pauerit: tum vero nihil potest ab eo Dominus exigere: & si quid exigat, hoc mercenarius pro arbitrio vel faciet vel omittet. At in parabola, absoluto labore arandi, pascendive, tamen nouum opus, imo noua opera imperantur.

VIII. Quo loco subit admirari Maldonati, postque eum, Porsani audaciam: negantium per seruum, intelligendum esse mancipium, quod, quantum quantum sit, Domini sui sit: sed mercenarium. Nam hoc quis sperasset? Duplici tamen argumento Maldonatus pugnat. Primo, vulgari Scripturarum more, seruorum nomine non mancipia modo, sed etiam mercenarios intelligi: Quin Porsanus durius. Quod Caluinus intelligat mancipium, id esse, cõtra vsum Scripturæ, quæ hoc nomine ferè semper eum significet, qui sit mercede conductus. Secundo, ex ipso textu parabolæ: cum enim dicit, dominum nullam seruo suo gratiam habiturum, quia nihil fecisset vltra, quam debeat, indicat de eo agi seruo, qui aliquid plusquam debebat, agere potuisset, quod si fecisset, gratiam illi Dominus esset habiturus.

IX. Sed contra, non tantum Barradas, *Non est*, inquit, *Deus similis hominibus, qui seruis, siue mancipijs suis, neque habent neque referunt pro operibus*

gratiam: Vbi vides seruos & mancipia pro ijsdem vsurpari. Sed etiam Salmero ex professo, *Ho. loco seruum, non conductitium famulum, & mercenarium, qui locat operas suas sub certo pretio, intelligere debemus: sed de proprie seruo, vt erant olim, & modo sunt mancipia iure belli capta, & seruata, vel pecunia nostra redempta.* Et erant tamen hi Iesuitæ, magis ingenuos dicerem, si vna hirundo ver faceret.

X. Sed illud Porsani mirè est impudens. Contra vsum Scripturæ, inquit. Quasi nunquam in Scriptura seruus mancipium signaret. Atqui Maldonatus contra, serui nomine & mancipium & mercenarium comprehendi. Non ergo, inquam, contra vsum Scripturæ. Imo ipse Porsanus, non semper, sed ferme semper dixit: vt suo seipsum iugularet gladio: quanquam hoc ipsum longe vltra Maldonatum: qui contentus fuit mollissimè dicere, seruorum nomine, non mancipia modo, sed etiam mercenarios intelligi.

XI. Ego vero agnosco & δοῦλον serui nomen non semper exactè pro mancipio vsurpari. Nam hi loci contra sunt. Matth. 20. *Quicunque voluerit inter vos primus esse, esto vester seruus.* Post. ad Corinth. 4. *Nos autem seruos vestros propter Iesum:* Et pauci si fortè præterea: quia quibus illa significatur ingenua seruitus, per quam alii alijs seruimus ex charitate. Sed audacter tamen dicam, non tantum frequenter, quod sufficere queat Porsano, aut certè sæpius: sed etiam, aut nunquam, aut vix vnquam aliter exceptis iis locis paucis, serui nomen non esse pro mancipio, vt & referatur ad δεσπότην, herum: & opponatur libero. Exempla non est opus percurrere.

XII. Verum, inquit, Maldonatus, de eo agitur, seruo, qui aliquid plusquam debebat agere potuisset. Imo, inquam, hoc falsum, & præter omnem verisimilitudinem. Imo, inquit, si negatur ei haberi gratiam, quod nihil fecisset vltra quam debebat: ergo poterat vltra quam debebat agere. Falsum, inquam, & alienum à sensu communi. Quis enim hoc vnquam agnouit cõsequentiæ genus? Si nihil faciat vltra debitum, non habebitur ei gratia: Ergo potest aliquid vltra debitum facere: Simile, Nisi Lepusculus celerius volet quam aquila, non effugiet aquilæ vngues: Ergo lepusculus potest celerius volare, quam aquila. Quis crederet horum ratiocinationis portentorum capaces esse Iesuitas? At, inquit, si id fecisset, gratiam illi Dominus esset habiturus. Ita est, inquam: quomodo si lepusculus celerius volet, effugiet aquilæ vngues. Sed quis nescit hoc genus hypotheseon, admittere etiam impossibilia.

XIII. Non erat igitur quod se quisquam importunum præberet in eo nomine. Sed fucatam suam humilitatem, qui Veterum Theologorum vtulo commendant, faciunt suo nimium more, vt negligentioribus imponant leui occasione. Concedo illis omnibus hoc loco obseruatum commẽdari nequis efferat se ob bona opera, siue vt Theophylactus loquitur: μὴ δεῖν μεγαλοφρονεῖν ἐπὶ κατορθώμασιν: neque nos sane aliter censemus. Sed negamus eorum quenquam dixisse, quod Stapletonus, rem non negari, iactantiam cohiberi. Contra iactantiam prohiberi, propter negationem rei, verum. Hos audi, Hieronymum ad Ctesiphontem, *Hæc hominibus sola perfectio, si imperfectos esse se nouerint. Et vos, inquit, cùm omnia feceritis, dicite, Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Audin' noscere se imperfectos esse: An id noscimus, quod verbis quidem profitemur, sed aliter esse sentimus? Cyrillum apud Thomam, *Per hoc morbus superbia tollitur, Quid superbis? Ignoras quod si non persoluis debitum, periculum imminet: si vero persoluas, nullam gratiã facis?* At hæc ratio, est à rei veritate. Theophylactum. Δηλοῖ γὰρ ἀνάγκην ἐπίκειται, τὸ πληγῶν τοῖς ἐντολὰς δοῦλος, ἐὰν μὲν ὡς κατόρθωμα ἐπιγράφεται ἑαυτῷ τοῦτο ὀφείλει. εἰ δὲ μὴ ἐργάσηται, πληγῶν ἀξιωθήσεται, ἐὰν δὲ ἐργάσηται, ἀρκείσθω ὅτι τὰς πληγὰς ἐξέφυγε. ἐὰν μὲν ὀφείλει ἐπὶ τούτῳ τιμὴν ζητῶν ἀναγκαίως, *Seruo necessitas incumbit implere mandata Domini ut non tanquam meritum imputare debet: nisi enim operatus esset, plagas mereretur: Cum ergo operatus est sufficiat quod plagas effugerit: at non debet propterea præmium necessario flagitare.* Denique Chrysostomum ad Romanos homil. 7. καὶ γὰρ ἅπαντα ἁπλῶς ποιοῦμεν, ὀφειλὴν ποιοῦντες πληροῦμεν· διὸ καὶ αὐτοὺς λέγει, ὅταν πάντα ποιήσητε, λέγετε ὅτι ἄχρειοι δοῦλοί ἐσμεν. ἃ γὰρ ὀφείλομεν ποιῆσαι, ἐποιήσαμεν, *Quæcunque enim facimus debitum facientes implemus: propterea & ipse ait: omnia cum feceritis dicite, Inutiles serui sumus: quæ enim facere debebamus, ea fecimus.* Ex his reliquos omnes metire.

XIV. Sed alibi, Seruos esse vtiles Christus docuit. Atqui hoc ipsum negatur. Concedo fideles dixisse: sed vtiles nego. Non esse autem idem, vel ex ipsis verbis potes discere. Nam hos seruos dicit inutiles, qui tamen omnia fecerant, quæ erant mandata. Quæso te potest ne aliquis omnia facere quæ mandata sunt, & non esse fidelis? Quod si est absurdum: tum vero, quia qui omnia fecit, quæ debuit, est inutilis: & idem tamen fidelis: Ergo etiam ipse fidelis est inutilis.

XV. Sunt igitur nil nisi magni nugones, qui de modo dicendi litem mouent. Rem ipsam videamus. Quæritur, quo sensu Inutiles serui dicantur. Qua de re antequam varias sententias excutio, libet occupare lectorem, vt ne hanc à nobis esse putet obiectionem, quam Barradas ita concipit. Obijcies: Nunquid gratiam habet seruo illi, qui fecit quæ ei imperauerat? Non puto. Indicat Dominus his verbis, herum nullam habere gratiam seruo debita facienti: Ergo Christus, nec habet, nec refert gratiam seruis iussa exsequentibus. Habeat hanc Barradas vnde volet: à nobis certè non potuit: qui & confitemur, & profitemur Christum multam habere, multam referre gratiã Fidelibus suis seruis exercentibus se strenue in obseruatione legis. Et inde dictum scimus; *Fieri misericordiam in millia his qui seruant mandata.* Exod. 20. *Qui hanc regulam sequuti fuerint, pax super illos & misericordia,* ad Galat. 6. *Talibus hostijs δυαρεστεῖται delectatur Deus,* ad Hebr. 13. Et multa similia. Neque veremur, ne adeo sint aduersarij eloquentes in hac commendanda Christi liberalitate, vt nos superent: Quid ergo? Nempe hoc vnum est in quæstione: vtrum hæc siue gratia siue merces quam Christus siue habet siue refert obseruantibus mandata, debeatur eis ex operum merito cõdigno. Hoc si non concludant aduersarij, meras egerint nugas. Hoc monitum oportuit, ne solito more imponant nobis Sophistæ, mutata quæstione.

XVI. Iam ad rem: de qua cum multiplices sint opiniones, hinc mihi esto initium: vt seruus vel ex natura vel ex gratia censeatur. Ex natura inutilem dici concedunt: ideoque non mereri: at ex gratia negant. Bellarminus. Ex nobis serui inutiles sumus; inepti prorsus ad ea implenda, quæ Dominus præcipit: tamen per eius gratiam vtiles efficimur. Ita visum esse Ambrosio: *Agnoscenda gratia: sed non ignoranda natura.*

XVII. Sed nos dicimus hoc esse valde alienum à verbis Saluatoris. Eos enim dixit inutiles, quos alloquebatur. Alloquebatur autem suos discipulos, vt constat & ex initio capitis, *Ait autem discipulis:* & ex proxima eorum interrogatione, *Tunc dixerunt Apostoli Domino; Adde nobis fidem.* At hi Apostoli iam tum erant in gratia. Rursus eos dicit seruos inutiles, qui fecerint omnia mandata. Argumentum manifestum. Quicunque implet omnia mãdata, is est, hoc loco, seruus inutilis. At quicunque implet omnia mandata, is est in gratia. Ergo quicunque est in gratia, is est seruus inutilis. Maior manifesta ex verbis Christi. Minor certa, quia sine gratia, ipsi Papistæ agnoscunt non posse hominem perficere legem: & manifesta sunt verba Christi, *Sine me nihil potestis facere.* Ioann. 15. Pauli etiam, *Deus est, qui efficit in vobis, vt & velitis, & vt efficiatis.*

XVIII. Neque vero alia potest esse sententia eorum, qui hanc parabolam cum præcedentibus connectunt. Stella. *Quia Saluator, suis electis excellentissima gratiarum charismata promisit & contulit, præstaturusque fuit tam in donis gratis gratum facientis, quam gratis gratis data, ideo post prædicta saluberrime instruit eos de profunda & inconcussa humilitate semper in omnibus conseruanda, vt omne bonum omnipotenti creatori iugiter adscribatur, & tanto plus ei regnatiemur, quanto copiosiora gratia dona ab ipso sortiti fuerimus.* Salmero, *Subiunxit præsentem parabolam, vt cum tali fide ornati viderint se illa præstare, non superbiant, nec efferantur, sed se deijciant, & in officio humilitatis, & modestiæ sese contineant.* Olim Theophylactus, ἐπὶ ἡ πῦπα εἴπε πρὸς τὴν πίστιν ἐπιφέρει καὶ ἀναγκαιοτάτην ἐπερωτᾶν διδασκαλίαν ποιεῖν πάντα, τὴν πρὸς δὲ μὴ δεῖν μεγαλοφρονεῖν ἐπὶ κατορθώμασιν. ἐπειδὴ γὰρ ἡ πίστις πολλὰ κατορθοῖ, καὶ τῶν ἐντολῶν τὴν πρωτὴν ποιεῖ τὴν πιστὴν ἔχοντα μετὰ δὲ καὶ ἡμᾶς τῇ ἀκακίᾳ κατακοσμεῖν αὐτὸν, ἐκ τούτου ἡ φύσις τὸν ἄνθρωπον εἰς μεγαλοφρόνησιν ἐκπίπτειν πολλάκις. ἀσφαλίζεται τὸν δεσπότην ἐπὶ κατορθώμασι, διὰ ὑποδείγματος χαρίζεται. *Postquã hæc dixit de fide, subinfert & alteram valde necessariam doctrinam. Quam vero? Non esse præsumendum de bonis operibus. Quia enim fides multa præclara efficit, eumque qui fidelis est, præter quam quod miraculis ornat, etiam efficit impletorem legis: atque inde solet homo in præsumptionem incidere vt plurimum, cautos reddit Apostolos in bonis operibus, elegantissimo exemplo.* Sed & Theodoretus in Cathena Thomæ, *Quia fides proprium possessorem facit diuinorum mandatorum obseruatorem, viuificis eum exornans operibus: exinde videbatur hominem incurrere posse superbiæ vitium: vnde præmonuit Dominus Apostolos, ne superbiant in virtutibus suis, per exemplum conueniens.*

XIX. Omnia conspirant igitur, vt intelligamus eum seruum, qui etiam positus est in gratia, esse inutilem: non eum duntaxat, qui est in puris naturalibus. Quid contra hæc vnius posset Ambrosij opinio? Quanquam ne Ambrosij quidem videtur opinio esse opposita; quantum iudicare est ex integro loco, à quo tria quatuorve vocabula Bellarminus misere delumbauit. Ellum tibi, *Sequitur, vt nemo in operibus glorietur, quia iure domino debemus obsequiũ.* En tibi iam ὑπόθεσιν: non particularem de ijs qui non sunt in gratia: sed vniuersalem: *nemo,* inquit, *in operibus glorietur:* Ergo, inquam, ne is quidem qui in gratia. Pergit, *Nam si tu non dicis seruo aranti, aut oues pascenti, recumbe: sed exigis ab eo aliud ministerium, & gratias ei non agis: ita nec in te patitur Dominus vsum esse operis aut laboris, quia dum viuimus, debemus semper operari.* Si dum viuimus, & semper: ergo etiam in gratia. Propterea statim confirmat exemplo Pauli, qui certè erat in gratia, *Vas gentium, electus à Domino, non sum, inquit, dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei, deinde alibi, nullius se ostendens conscium culpæ, subiecit, sed non in hoc iustificatus sum.*

XX. Quis tam vacuus est cerebri, vt hanc perpetuam seriem negligat, paucorum vocabulorum occasione? Quæ tamen ipsa nihil habent incommodi. Imo etiam nouam vim, *Non te præferas, quia filius Dei diceris, agnoscenda gratia, sed non ignoranda natura.* Audin' tu ad eos sermonem dirigi, qui dicuntur filij Dei? Hos quis neget esse in gratia? Ergo manifestum, intellexisse Ambrosium de eorum operibus, qui sunt filij Dei: ac proinde fiunt ex gratia. Dicamus ergo velle Ambrosium, ne tum quidem, cum in gratiam recepti legem implemus (si fortè implemus) dememinisse oportere nostram eam esse naturam, vt simus serui Dei, omnibus obsequijs de fœnerati: vnde nunquam possimus de Deo mereri: quandoquidem nihil meritum esse possit, quod iute seruitutis debeatur.

XXI. Secunda distinctio: Inutiles dici Deo, at non sibi. Exponit Beda, inquit Bellarminus, iuberi nos agnoscere, nihil nos Deo vtilitatis adferre: sed quicquid boni faciamus, id nobis vtile esse, non Deo, qui bonorum nostrorum non eget. Neque meliorem solutionem Soto quæsiuit. Sensus, inquit, legitimus S. Thomæ & aliorum Theologorum, sane qui eruitur ex notione ipsa, vtile, est huiusmodi. Ille seruus est domino vtilis, cuius opera accrescit domino lucrum: qui tamen sibi lucratur, inutilis est domino.

XXII. Verum neque Bedæ, neque Thomæ tanta fuit autoritas, vt non displicuerit, hoc quicquid est nugamenti, Maldonato, & Alphonso de Castro. Ille, *Alij,* inquit, *vt Beda, & Lyranus, seruos nos etiam, cum omnia fecerimus, inutiles existimare debere, quia nihil Deo vtilitatis attulimus, qui bonorum nostrorum non indiget. Caterum non id, opinor, agebatur, vt probaretur nihil nos vtilitatis Deo afferre posse, sed nihil nobis, præter constitutam debito ministerio deberi mercedem. Nam seruus quidem ille, qui in parabola proponitur, aliquid domino suo vtilitatis attulit. Et, si nos nullam Deo vtilitatem afferre possumus, non impotentia nostra, qui aliquid certè facimus, sed Dei nulla re indigentis natura fit: neque concludit Christus, Dicite, serui inutiles sumus, quia nihil Deo vtilitatis attulimus: sed quia, quod debuimus facere, fecimus, quod aliud esse dubium non est.* Castro, *Scio alios verba illa Christi aliter interpretari, dicentes ideo nos seruos inutiles esse, quia nullam Deo vtilitatem ex nostris meritis præstamus: Et huic interpretationi fauet Beda.* Et post, *Longe à litera discedit, propterea quod non conuenit parabola, ad cuius exemplar nos admonuit, vt diceremus nos esse seruos inutiles. Nam seruus, qui homini seruit, domino vtilis est, quamuis sibi non sit, non ergo de vtilitate, quæ prouenit domino, sed de vtilitate propria ipsorum seruorum Christus intellexit, quum admonuit nos, vt diceremus nos seruos inutiles esse. Inutiles ergo nobis sumus, quia nihil ex natura nostrorum operum, quantumlibet & bonorum, meremur: sicut nec seruus meretur ex seruitio quod impendit domino suo: quia facit, quod ratione seruitutis facere obligatur.*

XXIII. Et vero, cum Parabola sit similitudo: necesse est παρόμοιον similem esse ὑπόδειγμα: ideoque, si in illa, seruus sit sibi vtilis, in hac oportet esse

item seruum sibi vtilem: quid enim magis absonum, quàm si dicas; seruus ille nihil sibi prodest: ita & vos nihil Deo prodestis? Hoc igitur expendendum: vtrum proponatur seruus, sibi vtilis, an vero vtilis domino suo. Atqui, tam manifesta sunt verba, vt mirum sit quemquam potuisse hæsitare. Nam primo, non seruus nominatur simpliciter: tum enim, fortasse ambigui aliquid esset: manifestum est enim seruos alios esse vtiles, alios inutiles: sed idem, qui seruus nominatur, statim describitur, arans, & pascens, & quidem tota die. At qui sunt huiusmodi, hi non possunt numerari inter inutiles domino. Ergo inter vtiles.

XXIV. Tum secundo, *Num gratiam habebit ei*, non potest vtilitatem domini significare: sed vtilitatem potius serui. Nam vtilitas domini à seruo est in dominum: at hæc gratia à domino est in seruum. Et confirmatur ex Luc. 6. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis erit gratia? Si benefeceritis ijs qui vobis bene faciunt, quæ vobis erit gratia?* Lyranus. *id est, merces à Deo reddenda in æterna vita.* Caietanus, *Quæ vobis est gratia reddenda à Deo?* Carthusianus: *id est, merces à Deo præstanda? Vtique nulla de condigno.* Tolerus, *Id est, nihil in eo facitis dignum, pro quo vobis gratia vllæ habendæ, agendæ, aut referendæ sint: quasi diceret, retributionem à Deo non habebitis. Gratiam appellat retributionem, quæ ex gratitudine etiam datur his, qui de Deo bene meruerunt, & propter eum opera fecerunt.*

XXV. Constat igitur inutiles intelligendos seruos, non Domino, sed sibi. Quid ergo? Est-ne aduersarijs satisfactum? Imo nouum sperant se nodum in scirpo inuenisse. Inutiles esse, non absolutè, sed secundum quid: nempe quatenus nihil præstant non debitum. Quod nos quidem concedimus propter diserta verba, *quod debuimus facere, fecimus.* Sed quomodo, quæso, inde subleuatur caussa meritorum? Nam nos quidem inde putamus confectam. Tripliciter comperio, hac subtilitate illos vti.

XXVI. Bellarminus simplicissimè: Serui inutiles dici possumus, cum omnia mandata diuina seruauimus, quoniam nihil facimus vltra id, quod debemus: & nihil inde iustæ mercedis petere possemus nisi Deus liberali pacto nobiscum conuenire voluisset. Nam ex conditione mancipia Dei sumus: & si velit, potest nos absque vllo præmio ad omnia opera, quæcunque illi placuerint, obligare. Et expositionis huius autorem laudat Augustinum, Serm. 3. de Verbis Domini.

XXVII. Sed hoc homine nihil imbecillius, concedente omnes argumenti partes, vnde necessaria conclusio oriatur. Non mereri, qui nihil nisi debitum facit: & nos nihil nisi debitum facere. Quid ergo obstet, quominus certa sit thesis nostra? Nam quod addit, nisi Deus liberali pacto nobiscum conuenire voluisset: quid habet virium? Nam liberali pacto conuenire, non includit meritum. Vasques cap. 2. disputat. 213. in 1. 2. *Si enim quispiam non intuitu alicuius meriti aut operis, quicquam alteri promitteret id, quod promissum redderetur, nunquam haberet rationem mercedis, sed simplicis donationis.* Itaque etsi concedamus, Deum promisisse iis qui legem implerent, salutem: tamen negabimus, hos qui implent, mereri ex condigno: sed tantum obtinere ex gratia: quomodo seruus si sibi operato, redeuntique ex aratione, aut pastione, herus promisisset cœnam communem: nunquam diceret se meruisse ex condigno: sed admiraretur heri liberalitatem.

XXVIII. Nec vero pudori suo consuluit Bellarminus nominato Augustino. Is enim huius loci, cuius de intellectu disputamus, nec verbulo meminit: sed & multo minus meriti condigni, imo totus est in extollenda bonitate, quæ præmia polliceatur, vt extorqueat opera debita. Audi loquentem, *Vos amici mei estis*, inquit, *si feceritis ea quæ mando vobis. O magna bonitas Dei: cui cum pro conditione reddere debeamus obsequia, vtpote serui Domino, famuli Deo, subiecti potenti, mancipia redemptori, amicitiarum nobis præmia repromittit, vt à nobis obsequia debita seruitutis extorqueat: vt quos nolle seruire conspicit sponte, suorum beneficiorum possit promissionibus inuitare: & quorum voluntates à se conspicit alienas, eorum mentes præmiorum liberalitatibus constituat suas.*

XXIX. Sed Bellarmino vehementior est Salmero: vehementior Maldonatus. Ille, Loquitur, inquit, Dominus hoc loco de his, qui non sua sponte, & charitate, Deo seruiunt, sed inuiti & coacti necessitate præcepti: qui dicunt, quod debuimus facere, fecimus: quomodo sibi Paulus præmium non deberi, si inuitus euangelizaret, ostendit. At ex eo agnoscitur quis operari ex necessitate præcepti, & non ex charitate, quando quis ita seruit Deo, vt cum res & charitas postulauerit, non sit paratus facere etiam ea, quæ non videntur esse præcepta, sed in libertate eius permissa.

XXX. Verum refutatur hoc somnium ex ijs quæ annotauimus ad primam distinctionem: vnde constitit loqui Christum de ijs seruis, qui sunt admissi in gratiam, qui aguntur Spiritu: imo, autore Stella, de electis, quibus excellentissima gratiarum charismata & promisit, & contulit Deus. Atqui hos quis potest fingere nihil operari, ex amore Dei? Imo expendenda verba sunt parabolæ, *Cùm omnia feceritis, quæ mandata sunt.* Atqui in mandatis primum & summum est amare Deum toto corde. Quare, qui non operatur ex charitate Dei, is non potest dici implere omnia mandata. Itaque fœda esset implicatio contradictionis: Cum impleueritis omnia, dicite, Serui inutiles sumus: quia non impleuimus omnia: quod est absurdum.

XXXI. Iam vero Maldonatus: Idem est seruos inutiles esse, cum fecerimus omnia, quæ præcepta sunt nobis, non quidem nihil præceptorum obseruatione meruisse: sed nihil meruisse præter mercedem, quæ præceptorum obseruationi respondet. Vult ergo Christus non gloriari nos, cum præcepta seruauimus: quia, etsi mercedem nostram meriti sumus, tamen nihil singulare, nihil egregium, & eximium fecimus, quod non quilibet seruus facere debuit: nec tam est laudabile, quod id fecerimus, quam vituperabile, si non fecissemus.

XXXII. Argumentum habet: Quod in parabola est, Seruo illi nullam à Domino deberi gratiam, hoc in parabolæ conclusione est, seruum inutilem esse. Gratia autem in parabola non significat mercedem ex pacto, pro exhibito labore ac ministerio, seruo promissam debitamque: sed mercedis cumulum, atque corollarium, quo serui, qui plus quam debebant, laborauerunt, donari solent.

XXXIII. At nobis cum Maldonato conuenit hos seruos inutiles dici, non Deo, sed sibi. Hoc posito, addimus, absurdissimam esse, & à ratione alienissimam hanc expositionem: neque vnquam auditum eum seruum, siue vt Maldonatus mauult, eum mercenarium, esse sibi inutilem, qui præter pactam mercedem nihil auferat. Enimuero hæc illa est potius vel sola vtilitas, quam à suo labore mercenarij exspectant, aut etiam exspectare possunt: alias quorsum paciscerentur? Quis autem credat Dominum ita vsum his vocibus è medio petitis, vt affingeret sensum nunquam auditum? amplius dicam, sensum oppositum sensui proprio, & vsitato? Nam transferre in vicinum & similem, potuit: sed oppositum, videant ferrea Iesuitarum pectora, vtrum concedere queant: Catholicus nullus admittet.

XXXIV. Ad hæc, prohiberi hac parabola τὸ μεγαλοφρονεῖν ἐπὶ καταρτήσεσι, audiuimus ab interpretibus. Vide mihi absurdum. Nam quia prohibetur hæc præsumptio propter hanc rationem, quia serui sumus inutiles: ergo non latius patebit prohibitio, quam ipsa ratio. Si ergo ratio hæc eos tantum comprehendit, qui nihil nisi debitum præstiterunt: non autem eos, qui aliquid præter debitum: Ergo solis illis prohibebitur μεγαλοφρονεῖν, non itidem istis. Quod rursus an sint admissuri Iesuitæ, non facilè dixerim: Catholicos scio nullos posse tolerare; qui vniuersaliter dicunt μὴ δεῖν μεγαλοφρονεῖν ἐπὶ κατορθώμασι: at non ἐπί πᾶσι μὲν ἐξεῖναι, ἐπί πᾶσι δ' μὴ ἐξεῖναι. Quid? quod huiusmodi distinctio ponit, posse aliquid præstari boni, non debitum Deo? At hoc negantem audiuimus Chrysostomum hom. 7. in Epist. ad Rom. ἅπαντα ἁπλῶς ποιοῦμεν, ὀφειλὴν ποιοῦντες πληροῦμεν.

XXXV. Concedo huic clausulæ, *an illi habebit gratiam*, alteram clausulam respondere, *serui inutiles sumus*, sed illam significare, cumulum, corollariumve mercedis, non concedo: etsi centies Maldonatum asserentem audio. Cur enim me moueat autoritas Maldonati nudata ratione, destituta testibus?

XXXVI. Ostensum est seruos nominari, id est, mancipia: At hæc omnia debent: nec possunt quicquam operis supererogare. Quod si nihil erogent non debitum: Ergo neque vllam exspectare possunt gratiam: nullum meriti siue cumulum, siue corollarium, siue auctarium, dicas, siue mantissam. Præterea si mantissam expectarent, & nõ propter opus diurnũ arandi, & pascendi, cui operi erant conducti (si conducti) ergo propter illa opera: *para quod cœnem, & præcinctus ministra mihi*: nam in hæc opera non conducuntur aratores, & pastores, ideoque neque eorum caussa vllam mercedem paciscuntur. An igitur saltem propter paratam cœnam, & exhibitum ministerium, debetur eis seruis, quos Dominus nominabat, ea gratia, id est, Maldonato autore, corollarium mercedis? Pronuntient alij: quando ego suspectus Iesuitis, bonis scilicet viris. Ambrosius, *Tu non solum non dicis seruo tuo, recumbe, sed exigis ab eo aliud ministerium, & gratias ei non agis.* Euthymius, *Docens, quod sicut nullus seruum suum arantem aut pascentem, & ex agro domum reuertentem, honore dignum ducit ob huiusmodi laborem, sed rursum iubet, ac debitam adhuc exigit seruitutem, & nec sic illi gratiam habet: ad eundem sane modum & Deus.* Iansenius, *E rebus humanis profert exemplum de seruo, quem nullus Dominus, quantumuis commodus, solet ex agro reuersum honore afficere ob diurnum eius laborem, sed rursum iubet, ac debitam adhuc exigit seruitutem, & ne sic quidem gratiam habet ei.*

XXXVII. Atque hactenus Sophistarum commenta, quibus explosis omnibus superest illa legitima interpretatio, quæ meritum congruum penitus tollit. Colligo summam disputationis, vt res tota sit manifestior. Quicunque meretur à Deo vitam æternam, is seruus est sibi vtilis. At nemo faciens omnia imperata, est seruus vtilis. Ergo nemo faciens omnia imperata meretur à Deo vitam æternam. Maior patet. Minor probatur. Si est vtilis: Ergo vel à natura, vel à gratia. At neutrum. Non à natura: & hoc fatentur aduersarij. Probandum igitur non à gratia. Si ergo vtilis esset ex gratia: Ergo vel Deo, vel sibi. At neutrum. Non enim Deo fatentur Papistæ. Probandum ergo, ne sibi quidem. At si sibi, ergo vel per ea opera quæ debet ex lege: vel per aliqua alia, quæ non debet. Hoc vero neutrum.

XXXVIII. Probo non per debita. Primo, quia contra hypothesin: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite Serui inutiles sumus.* Deinde, quia sunt opposita, soluere debitum & mereri: vnde Christi ratio: serui inutiles, quia fecimus, quod debebamus: ex manifesto scilicet axiomate: nemo sibi vtilis, qui facit, quod debet. Tertio, rectè Maldonatus dixit: Quæ debemus, non tam laudabile esse si faciamus, quam vituperabile si non fecerimus. Nimirum: εἰ μὴ ἐργάσηται, aiebat Theophylactus, πληγῶν ἀξιωτέον· ἐπεὶ δ' ἐργάσαιτο, δοκεῖ δεῖν πληγὰς εἰσφέρειν. Argumentum: Nemo meretur præmium, ex ijs operibus, quorum ob defectum pœnis plectendus est. Ac per defectum operum debitorum ex præscripto legis iustè plectitur quilibet. Ergo per eadem opera nemo meretur. Maior manifesta ex sensu communi: alioquin serui mererentur à dominis suis: quod est absurdum: quia progressus esset in infinitum, ideoque negatur à Christo.

XXXIX. Sed neque per indebita. Ratio: Nemo meretur per ea opera quæ nulla sunt. Ast opera bona Deo non debita nulla sunt. Quoniam homo, seipsum totum debet Deo, qui totum se accepit à Deo. Et hic libens repeto, quod iam bis habui à Chrysostomo: ἅπαντα ἁπλῶς πειθόμεθα, ὀφειλὴν ποιοῦντες πληροῦμεν.

XL. Hæc certa. Sed Abras Raconisus, nouus Thraso cornutam opponit aciem. Serui sunt inutiles, vel qui omnia Dei mandata seruarunt, vel qui non nisi quædam, alijs violatis. Si illi, Ergo non erit lex impossibilis impleri: quod Caluinus dixit. Sin isti, nihil contra Papistas: qui nulli docent eos mereri, qui parte vna violata, partem reliquam legis obseruant.

XLI. Sed non sunt semper inuictæ acies cornutæ Imo hæc ridicula. Nam prius cornu, ipsum est inutile: non enim refutatur. Quid ad te nunc, noue Thraso, si alia parte Caluinus perit, dum ista non euadas? Neque enim, si falsum, legem impleri non posse, ideo non verum, qui legem impleuerit esse seruum inutilem. Hoc igitur prælij effectum erit, quod in illo Thebano, cum ambo fratres cæsi sunt. Vter enim regnauit eorum? An tibi perinde est, quid te futurum fiet, dummodo pereat aduersarius? Me vide. Serui inutiles sunt, vel qui totam legem implent, vel qui partem transgrediuntur. Si isti: ergo pereunt Papistæ, qui per bona quædam opera satisfieri posse nugantur alijs operibus malis: quæ certè non est inutilitas. Sin alij: ergo vicimus nos, qui bonorum operum impugnamus merita.

XLII. Enimuero, seruos hic inutiles dicimus vtrosque, Raconise: & illos

illos, inquam, qui totam legem implent, si qui sint: & illos qui partem duntaxat. Viden' vt minimè omnium terreat nos tua cornuta acies? Vt facile vtrumque cornu fundimus, fugamus? De primis disertus Christus: *Cum feceritis omnia, quæ mandata sunt, dicite Serui sumus inutiles.* Cum feceritis omnia, non autem: cum transgressi fueritis partem aliquam. Quod si inutiles illi, quid reliquos censemus? Mira Thrasonis impudentia est: sed nondum tanta, vt potuerit de istis non fateri.

XLIII. Sed si primi, inquit: Ergo potest impleri lex. Quæro, à quibus. A beatis-ne, an à viatoribus? Si beatos dicas, nihil ad nos: qui in viatoribus ad sanam fidem instruendis laboramus. Nemo nostrum sanè negauit à Sanctis in cœlo beatis impleri legem: & hoc sensu, legem non difficilem impleri quanquam tum negatis mereri. Sin viatores, nos vero negamus consequentiam. Nam hæc Christi oratio est hypothetica. Ast hypothesis nihil asserit. Cum Sol est supra horizontem: tum dies est, id potest verè dici etiam à Cimmerijs, quibus tam densæ tenebræ. Paulus 1. ad Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æs resonans.* οὐχ ὡς δυναμένου ποτὲ τῶν ἀπηριθμημένων ἐκάστου δίχα τῆς ἀγάπης ἐπιτελεῖσθαι, *Non quod quicquam eorum, quæ connumerata sunt, vnquam sine charitate præstari possit: sed quod Sanctus Apostolus, vt & ipse dixit, hyperbolico modo voluerit excellentiam omnia superantem isti adscribere præcepto*: Verba sunt Basilij Epist. 75. Quare Caluinus optimè, *Loquitur hic Christus de integra legis obseruatione, quæ nusquam reperitur.*

CAP. XVII.

Emere absque pretio. Deprecari in miserationibus Dei. Seruari non ex operibus.

I. QVintum nobis argumentum erit ex Esaiæ 55. *Omnes sitientes, venite ad aquas: vos, quibus non est argentum, venite, emite, & comedite: venite, emite absque argento, & absque pretio vinum & lac.* Si sine pretio, ergo sine merito.

II. Bellarminus negat esse ad rem. Quia vinum & lac, non gloriam sempiternam, sed gratiam temporis huius significent: quod probat autoritate Hieronymi. Se autem fateri gratiam Dei non acquiri per merita, sed gratis dari: quamuis non absque opere & labore nostro: nam venire, & emere, laborem nostrum designare: & absque argento, & absque vlla commutatione, designare reconciliationem non debitam, sed planè gratuitam.

III. Sed ego esse ad rem ostendo: quia agitur de obtinenda gratia diuina. Hanc autem ipsi Papistæ distinguunt, in primam & secundam: illam, qua venitur ad Deum: hanc, qua manetur in Deo: & hæc, nisi fallor, comprehēdit, tum augmenta gratiæ in hac vita, tum vitam ipsam æternam. Primam gratiam acquiri gratis fatentur: & hoc loco nominatim Bellarminus: sed meritis obtineri secundam gratiam vtramque contendunt. At qui Prophetam de hac secunda gratia loqui, manifestum. Nam hæc significat, vt dicebam, primos gratiæ in nobis motus: itaque significantur per venire. Hic vero Propheta non dixit, Emite & venite: sed contra, venite, & emite: vt doceat primo veniendum, id est, habendam primam gratiam: deinde emendum, nempe obtinendam gratiam, quæ est post primam.

IV. Hoc ipsum confirmatur ex sequentibus, *Quare appenditis argentum in non panem, & laborem vestrum in id quod saturare non potest? Audite audiendo me, & comedite bonum, delectabiturque in pinguedine vita vestra: Inclinate aurem vestram, & venite ad me: audite, & viuet anima vestra: feriamque vobiscum pactum sempiternum, misericordias Dauid fideles.* Enimuero quis non videt hæc verba complecti omnes partes gratiæ diuinæ à prima ad vltimam? Certè panis & vinum, alunt & saturant: quod prima gratia non facit, quæ designatur per sitim & esuriem: sunt enim hi primi motus ad fidem. Tum autem vita animæ, quid potuit dici latius? Adde fœdus, & quid supererit? Ergo falsum, per vinum & lac designari tantum primam gratiam.

V. Consentiunt interpretes. Cyrillus vt illud exponat, *Venite ad aquas*, varios congerit locos, quibus gratia designatur similibus comparationibus: & tandem, *Sæpe in Scriptura* (inquit) *diuinitus inspirata inueniemus Dei verbum dictum esse fontem ac flumen. Ideoque ipse Iudæos alloquebatur, & ad se vocabat, dicens. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, quemadmodum dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ vitæ. Cum etiam sermonem habet cum Samaritana muliere, rursus sic ait, Omnis qui bibit de aqua hac, sitiet rursus, at qui bibit de aqua, quam ego dabo ei, fiet in illo fons aquæ salientis in vitam æternam. Itaque, inquit, si quis sitit, accedat ad Christum & bibat, accipiatque vberem per Sanctum Spiritum consolationem, gratiam, & sincerissimam mystagogiam.* Paulo post, *Itaque sine argento & precio est hæc potio, ac charismatum eius amplissima donatio. At quid mercamur? quam emimus potionem? Vini, inquit. Escam vero adipis, & frumenti. Et quidem in confesso est charismatum Christi copiosam accessionem, animam lætitia afficere.* Et post, *Omittite igitur frustra laborare & nullos fructus colligere, ac in rebus infrugiferis labores collocare, ac potius audite me, & comedetis bona, ex Euangelica scilicet prædicatione, in qua anima vestra, inquit, abunde acquiescet, & deliciabitur. Illic cognitio vera, & Dei qui natura est, & omnis virtutis & sancti decoris disciplina est, ac intelligentia, quæ res quasque agendas mirabiliter ac recte discernit, & mentem bonorum operum effectricem reddit, adeo vt omnibus, quæ innuuntur & significantur, adhærescant, & ab omnibus quæ taxantur, recedant, etiam qui ante grauibus criminibus fuerant affines.* Viden' vt nullæ sint partes gratiæ, quæ non contineantur hac prophetia?

VI. Lyranus, *Omnes sitientes, scilicet gratiæ in præsenti, & gloriæ in ciuitate cœlesti, per ipsum Christum donandæ, secundùm quod ipse Ioannis quarto, Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Et qui non habetis, quasi dicat, ista non cadunt sub precio temporali, sed dantur ex mera liberalitate diuina.* Paulo post, *Et viuet anima vestra, vita gratiæ, & postea gloriæ: Et vnde ista proueniant, postea subditur: Et feriam vobiscum, id est, legem Euangelicam, cui alia non succedet.* Adde ex Glossa ordinaria, *Et qui non habetis argentum. Gratia salui facti estis. Et alibi, Gratis accepistis, gratis date*: quæ quidem sumpta sunt ex Hieronymo: vt intelligat Bellarminus, etiam Hieronymum, quem solum laudauit autorem, non coercere Prophetæ verba intra terminos gratiæ huius temporis.

VII. Sextum argumentum ex Daniel. 9. *Non in iustitiis nostris nos prosternimus deprecationes nostras in conspectu tuo: sed in miserationibus tuis multis.* Theodoretus in ea verba, *Neque enim nos ijs freti, quæ iustè egerimus, inquit, tuam imploramus benignitatem, sed tua misericordia confisi, audemus tibi supplicare.*

VIII. Bellarminus paucis se sperat hanc rem confecturum, *Daniel*, inquit, *non coronam petit hoc loco, sed liberationem à captiuitate, in quam populus Dei propter peccata deuenerat.*

IX. Sed frustra. Nam, vt dixi, Papistæ non solam coronam meritis obnoxiam esse docent: sed etiam, excepta prima gratia, reliquum quicquid est gratiæ. At ex hoc saltem loco habemus sanctissimos viros, etiam eum temporalia bona postulant à Deo, niti non suis meritis, sed misericordia diuina. Tum certè si non sunt meritis exposita illa, quæ hanc vitam duntaxat spectant, multo minus illa, quæ alteram, cum sint longè maiora: ideoque longè minus meritis proportionata. At cum ex ipsa Papistarum doctrina necesse sit meritis suam esse ad præmia proportionem: omnino oportet ea, quorum maior est disparilitas, minus esse proportionata: illud etiam erit consequens, si non meritis reddantur temporalia, multo minus redditum iri æterna.

X. Septimum argumentum ex Paulo ad Ephes. 2. *Gratia estis seruati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* Item ad Tit. 3. *Postquam bonitas & erga homines amor apparuit Seruatoris nostri Dei, non ex operibus, quæ fecimus nos, sed ex sua misericordia seruauit nos per lauacrum regenerationis, & renouationem Spiritus Sancti.* Si ex meritis, ergo ex operibus: nam merita sunt opera. Cum igitur non ex operibus: neque sanè ex meritis. Iustiniani hæc est paraphrasis. *Hvc tam amplum beneficium prorsus liberaliter, atque gratuito, nulloque modo merentibus nobis collatum est, gratia enim salutem consequuti estis, per Christi fidem: idque non vestris meritis, vestro-ve nisu, conatuve, cùm sit singulare Dei munus.*

XI. Porsanus distinguit salutem primam, à gratia secunda, & iustificatione. Illam dari sine meritis. Istam vero contra: quia Deus per gratiam suam dederit nobis eam mereri. Rursus opera distinguit in ea, quæ præcedant gratiam: & ea quæ sequantur. Illa non esse merita: & intelligi ab Apostolo; hæc vero esse merita: & non intelligi à Paulo, probat ex sequentibus, *Ipsius enim sumus factura creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Addit Augustinum, octauo de Gratia, & Libero arbitrio, testem.

XII. Sed Paulum loqui non tantum de illa prima gratia, quæ præcedunt, apertè docent. *Sed Deus, vt qui dives sit misericordia, propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, etiam nos cum per lapsus mortui essemus, vnà viuificauit cum Christo, cuius gratia estis seruati, Vnáque suscitauit, vnáque collocauit in cœlis in Christo Iesu.* Ergo gratia, quam laudat Paulus, & viuificationem comprehendit, & suscitationem, & collocationem in cœlis: quæ partes esse non possunt primæ gratiæ duntaxat. Non malè Salmero. *Hoc autem obtinuimus, tum quod præcipua pars hominis sit mens, siue spiritus, qui hic reparatur, & renouatur per fidei, & charitatis virtutes, & animus liberatur, à miseria tenebrarum, & ignorantiæ, & à proprij amoris vitio, quo nos supra Deum ipsum diligimus, & à pernitioso odio aliorum, tum etiam, quod per gratiam certam spem æternæ salutis, & ius ad gloriam, & arrhā Spiritus Sancti, & gustum quendam futurorum bonorum habemus.* Nam omnino duo sunt gradus beneficiorum comprehensorum hoc salutis nomine. Alia enim præsentia sunt; alia futura. Illa, quæ reapse conferuntur in hac vita; quorumque sensus est potius, quam spes. Ista, quæ hic obtineri non possunt; sed præstabuntur post hanc vitam: & horum spes est: nec spes tantum, sed ius iam acquisitum: ex cuius tum spei, tum iuris certitudine, non tantum saluandi dicimur: sed etiam saluati. Porro vtraque hæc beneficia cum contineantur salutis nomine; tum ergo cadunt in hæc verba; *Gratia seruati estis*: itaque falso Porsanus solam primam gratiam dixit.

XIII. Simili modo inepta est operum distinctio. Nam primo, Apostolus non distinguit: sed vniuersaliter loquutus est, *Non ex operibus*, quæ *fecimus nos.* Deinde, illud *Saluati sumus*, vtraque excludit: Nam si gratia, ergo non operibus: ita enim constanter Paulus. Si ergo ita sumus saluati gratia sine operibus; vt eo salutis nomine contineantur viuificatio, suscitatio, collocatio in cœlis: tum sanè confiteri est necesse, non viuificationem tantum, sed etiam reliquas dari non ex operibus. At hoc verum non erit, nisi ipsa etiam opera comprehendantur post primam gratiam: nam hæc, etsi sequantur gratiam primam: tamen præcedunt suscitationem, vel certe collocationem in cœlis.

XIV. Tum autem: si per merita operum, post gratiam primam, acquiritur collocatio in cœlestibus; ergo, vel quoad præsentem sensum, vel quoad spem & ius. At neutrum est. Ergo non acquiritur per operum merita sequentium gratiam. Probatur assumptum. Non enim quoad præsentem sensum: neque enim nunc in hac vita, collocamur in cœlestibus, sed tantum collocādi sumus tandem post hanc vitam. At neque, quoad spem & ius: Nam, vt audiuimus à Salmerone, vtrumque habemus ex ea gratia, quam Paulus nominauit: & hanc Paulus ipse affirmauit esse sine operibus. Quare nullo modo verum est, operibus quæ procedunt à gratia, tanquam meritis condignis, nos obtinere gloriam.

XV. In sequentibus, quid obseruauit Porsanus istis contrarium? Id vero oblitus est annotare: festinans nimium, an sibi diffidens potius? Enimuero Paulus nihil vult aliud, quam ita nos gratia factos esse saluos, vt tamen toti debeamus esse in bonis operibus: itaque statuit ad salutem necessaria esse bona opera, quod nos concedimus, & alias tractabimus. Neque aliter Augustinus exposuit: cuius verba. *Vidit, vtique putare posse homines hoc ita dictum, quasi necessaria non sint bona opera credentibus, sed eis fides sola sufficiat: & rursus posse homines de bonis operibus extolli, velut ea facienda sibi sufficiant:*

mox

mox itaque addidit, ipsius enim sumus figmentum. Vtrunque igitur tenendum: & seruari nos non ex operibus: & tamen creari nos in Christo in bonis operibus: vtrunque enim dixit Apostolus.

CAP. XVIII.

Parabola operariorum.

I. OCtauo loco parabola erit operariorum, quæ recitatur Matth. 20. Paterfamilias conducit operarios prima luce, pacto denario: iterum alios hora tertia: alios sexta, & nona, & vndecima. *Quum autem serum diei esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo, voca operarios, & redde eis mercedem, exorsus ab vltimis vsque ad primos: & cùm venissent, qui circa vndecimam horam, acceperunt singuli denarium. Quum venissent autem primi, existimarunt se plus esse accepturos: sed acceperunt ipsi quoque singuli denarium. Sed cum accepissent, murmurabant aduersus patremfamilias, dicentes, Isti vltimi vnam horam opus fecerunt, & eos æquales nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstum. Ipse vero respondens dixit vni eorum, Amice, non facio tibi iniuriam: nonne denario pactus es mecum? Tolle quod tuum est, & abi, volo autem huic vltimo dare, vt & tibi. Annon licet mihi quod volo facere in meis rebus? an oculus tuus malus est, quia ego bonus sum?*

II. Manifestum argumentum. Si pro meritis præmium datur, ergo pro inæqualitate meritorum, inæqualia erunt præmia. At non sunt inæqualia præmia. Ergo non dantur pro meritis. Assumptum manifestum est in parabola: nam opera inæqualia sunt eorum, qui totum diem laborarunt, & eorum, qui non totum, sed horas alij aliis pauciores, ad vnam vsque. Propositio autem manifesta ex ipsa aduersariorum doctrina. Nam ij non tantum diligenter notant nullum esse meritum absque proportione: vnde erant Romæi conceptissima verba, *Vt inter meritum & mercedem attendatur æqualitas quantitatis, quemadmodum in commutatiua iustitia, puta, tantum quantum.* Imo Porsanus, in huius argumenti solutione: *Nihil æquius, quam vt qui plus laborauit, plus recipiat.* Sed etiam addunt, acquiri augmentum gloriæ: quod tamen concedunt non esse omnibus idem: vnde necesse confici; ei qui plus sit meritus, deberi etiam augmentum gloriæ maius.

III. Prolixi sunt hoc loco Maldonatus, & Porsanus. Et primo, calumniantur hac nos abuti parabola ad negandam inæqualitatem gloriæ in regno cœlesti. Sed neminem tamen indicant, à quo id assertum fuerit. Imo Maldonatus notat displicuisse Caluino hanc interpretationem: Quanquam hoc ipsum non sincere. Nam huius interpretationis Caluinus non magis meminit, quam si nunquam fuisset audita. Et quidem pro certo habeo, Iesuitam sibi finxisse monstra, quæ magnificè debellaret. Ita enim solent viros bonos artificiosa inuidia onerare, quo iure, quave iniuria, ille viderit: nobis nostra conscientia sufficiet, contra non huius tantum, sed omnium etiam συκοφαντῶν calumnias: in quibus Maldonatum, qui ex scriptis nouerit, postremum nunquam numerarit.

IV. Ponamus ergo inæquales esse in æterna vita gradus, quod Paulus 15. prior. ad Corinth. euidenter adstruit. Sed ne labefactemus tamen parabolam, quæ vnum omnibus denarium donat. Non enim istud illi contrarium. Nam etsi, exempli gratia, Apostolis maior gloria, quam Euangelistis: aut his, quam fideli plebi: tamen nihil obstat, quominus æquè in totidem thronis sedeant Apostoli, qui tamen inæqualiter laborarint: & in plebe fideli, eadem vita æterna concedatur, puta latroni, qui vltimo actu vitæ duntaxat credidit, & alij cuipiam, qui ab ineunte ætate, ad postremam vsque senectam, Christum sit confessus: vt nihil sit opus subtili illa Seraphicaque Scholarum distinctione beatitudinis obiectiuæ & formalis, quam Porsanus, quia potuit eloqui, putauit magnum se operæ pretium fecisse: ἡ γὰρ δὲ φθόνος.

V. Deinceps geminum illis σόφισμα. Primum, negant inæqualitatem meritorum, siue operum. En tibi acumen: Nam si verba non recito, vix spero me lectori persuasurum, inueniri potuisse tantam audaciam. Maldonatus. *Finis parabolæ est, mercedem vitæ æternæ, non tempore, quo quis laborauit, sed labori & operi, quod fecit, respondere. Sæpe enim fieri solet, vt aliquis vna hora tãtum laboret, quantum alius toto die, ideoque æqualem mercedem, id est, eundem denarium accepturum esse.* Nihil mutaui: ne solœcismum quidem, cuius Prisciano cura esto: Porsanus, *Hi, quanquam primi venissent, minus tamen laborarunt, quam postremi, qui vna hora tantum confecerunt, quantum illi toto die.* Et post, *si quis eorum opus fecisset tantum dimidiæ diei, proculdubio dimidium duntaxat denarium abstulisset.* Intelligo: quasi prima luce conducti asini fuissent, reliqui vero equi, & quidem alij aliis valentiores: sic enim puto fit etiam hodie, vt equinæ operæ maiori ære redimantur quam asininæ. Fortè etiam inciderat ille non nimium accuratus paterfamilias in febricitantes, quorum pallorem dubia lux obtegebat, ne deprehendi posset infirmitas: quę postea orto sole non potuit latere: vt eodem occaso computaretur.

VI. Eleganter sanè, nisi multa obstarent. Primo, interpretum autoritas. Hilarius, Canon. 20. *Et cum sero esse cœpisset, donum constitutæ in totius diei labore mercedis primi operarij hora vesperis consequuntur.* En tibi mercedem constitutam labori, non operę. Similiter Franciscus Lucas, *Denarium mercedem labori totius diei debitam.* Et rursum ad id, *Quod plus essent accepturi, vt qui plus laborarant, quam cæteri omnes.* Lyranus fortè ad eandem mentem, *Conuentio ista est promissio vitæ æternæ pro labore,* Royardus, hom. 1. dominica in septuagesima, *Conuentione, inquit, facta cum operariis ex denario diurno, id est, vt pro labore diei denarium recipiant.*

VII. Et vero, si non laboris, sed operæ præmium fuit: fuerunt autem inæqualium laborum æquales operę: ergo omnium operariorum eadem caussa fuit. At contra, Augustinus de Bono Perseuerantiæ c. 8. *Sed cur, inquit, non solum in paruulorum, verum etiam in geminorum vna atque eadem caussa, tam diuersum iudicium?* Obiectio fuit Pelagianorum. Hanc ille soluit alia proposita quæstione. *Nonne similis quæstio est, cur in diuersa causa idem iudicium? Recolamus igitur illos operarios, in vinea qui tota die laborauerunt, & eos qui vna hora, nempe causa diuersa est impensi laboris, & tamen idem iudicium in redditione mercedis.* Franciscus Lucas, ad illud, *Quod iustum fuerit. Denarius integer non his iure debebatur, quod dies non esset integra, sed quadrans iurè demi poterat* Et post de postremis vocatis ad recipiendam mercedem. *Cum minimum siderent meritis suis, solamque expectarent Domini gratiam, denarium, mercedem labori totius diei debitam, præter suam & aliorum omnium exspectationem accipiunt,* Caietanus, *Acceperunt singulos denarios, pro singuli denariũ. Hoc est tantum præmij, quantum debetur toti labori vnius diei, vbi manifestè liquet, gratia patrisfamilias dans nouissimis supra condignum.* Hieronymus disertè, *Non sic laborauit tertiæ horæ operarius, quomodo ille, qui prima hora est missus in vineam. Similiter & sextæ horæ operarius, minus laborauit, tertiæ horæ operario, & nonæ, sextæ horæ operario.*

VIII. Ac sanè, si fuisset merces assignata operi, & omnium opus æquale: nulla fuisset primis indignationis caussa, non tantum iusta, sed ne verisimilis quidem. Nullum enim ius, nulla consuetudo, non id iubet. In parabola autem non solent fingi absurda, & non verisimilia. Royardus, *Arbitrari meritò poterant, quod plus illis essent accepturi, quandoquidem vsitato hominum more plus laborantibus, etiam plus mercedis conferatur.* Tum autem paterfamilias responsionem habebat paratam ab eo iure: quod tamen ille nullum pertendit: sed opponit naturam gratiæ, quæ illam iustitiæ æqualitatem non nouit. Vnde Royardus, *Amice, inquit, non facio tibi iniuriam, quæ locum non habet, vbi est mera gratia, sed vbi quod iure debetur, negatur.* Ferus, *Vbi nullum debitum est, sed omnia ex gratia præstantur, ibi nulla sit iniuria, nemo quicquam conqueri potest.*

IX. Sed obijcientem audio Maldonatum. Primo, de labore sæpe fieri solere, vt aliquis vna hora tantum laboret, quantum alius tota die. Deinde, de responso patrisfamilias; voluisse personæ decorum seruare: non conuenisse autem, vt illi operario declararet, cur tantum nouissimis, quantum primis daret: sed tanquam Dominus diceret, *Sic volo, sic iubeo.* Sic enim prudentes Domini solent seruis rationem quærentibus, cur hoc, vel illud iubeant, etiamsi intimam habeant consiliorum suorum rationem; pro ratione suam exponere voluntatem: Cur iubes? quia volo. Addit, noluisse prudentem patremfamilias, conquerentem operarium pudore suffundere: quod factum fuisset, si dixisset tantum se postremis dare, quantum primis, quia tantum laborassent.

X. Et vero solent ista in rebus humanis accidere. Verum quis docuit parabolas explicare ex non expressis in ipsa parabola? Hæccine ratio legitima est? aut vnquam, non dico præscripta, sed vel exemplo confirmata à quoquã sano? Breuiter ergo, concedo euenire interdum, vt inæqualis laboris æquales sint operæ, ideoque æqualia præmia: sed nego hac parabola id poni: à Maldonato dico intempestiue inquiri, importune vrgeri.

XI. Nam de decoro quid dicam? Primo, non videt se subito transformare mercenarios in seruos: eadem audacia, qua paulo ante seruos in mercenarios. Est enim verum, solere seruis suis herum pro ratione voluntatem suam obijcere: sed liberis itidem, absurdum est. Tum autem voluntas est pro ratione, in ijs quæ pendent à mera autoritate: & non, in iis quæ à iure. At meriti præmijque negotium eiusmodi est, ipsis confitentibus populis, vt pendeat à iure. Itaque debuit ille paterfamilias suis non seruis, sed mercenarijs, nõ voluntatem suam obijcere, sed rationem, si pares supponantur operæ. Et vero re præstat. Non enim voluntas, sed ratio significatur iis verbis, *Non facio tibi iniuriam, nonne denario pactus es mecum? Tolle quod tuum est.* Quibus verbis Bellarminus c. 19. 5. de Iustificat. asserit significari, non ex iustitia, sed liberalitate factum. An hæc non est ratio? An hac parte decorum personæ oblitus est Christus? Imo nugator Maldonatus potius.

XII. Nam quod de pudore addit, primo, vnde habet? quis eum docuit Euangelista? aut quis diuinare permisit? Deinde, quæ ratio diuinandi? An quos tam viles iam iam depingebat, vt non mererentur audire rationem, sed imperium exspectare; iidem tam subito tanti fuere, vt non deberent pudore suffundi? Et hoc præter verisimilitudinem, solent enim patresfamilias non dissimulare, cum sui operarij non strenue laborant, & tamen integram mercedem postulant.

XIII. Atque hactenus primum sophisma. Alterum sequitur, Maldonato proprium. Nam Porsanus, etsi alias fidus discipulus, hic tamen discessit à magistro, Maldonatus ergo: Tantum abest, vt docere Christus voluerit, æqualem omnium beatorum futuram gloriam, quia non meritis, sed gratis datur: vt contrarium omninõ probare voluerit, non omnium gloriam æqualem futuram, quia non gratis, sed meritis datur: quod autem datur meritis non æqualiter omnibus, sed alijs plus, alijs minus pro cuiusque meritis datur: Videte λῆμα λαϊολεπκὸν. Videte quanti sit Iesuitam fieri.

XIV. Duo ponit, distincte consideranda. Vnum, velle Christum docere hac parabola, futuram gloriam inæqualem, alterum, rationem eius inæqualitatis à Christo sumi ex meritis, itaque docuisse Christum, eam gloriam acquiri ex meritis. De primo non contendimus: etsi miramur audaciam: quæ eam speret ab hoc loco euincere, cum tamen negare non possit in parabola non dari inæquale præmium, imo disertissime, æquale, denarios videlicet singulos singulis. Qui fieri potest autem, vt idem denarius, inæqualitatem significet? Et vero Bellarminus 3. de iustific. 16. *Denarius ille*, inquit, *significat æqualitatem æternitatis,* Aquinas, 1. 2. q. 5. artic. 2. *Vnitas denarij significat vnitatem beatitudinis ex parte obiecti.* Vt mittam alios, totumque adeo hoc caput, quo, si negasset Maldonatus, probari æqualitatem gloriæ: non contradiceremus, sed cum dixit probari inæqualitatem, nos certè cogimur audaciam mirari, imo temeritatem exsecrari.

XV. De altero capite non idem iudicium. Omnino enim falsum, à Christo statui merita, alioquin necesse esset poni paria, propter paria præmia. At id falsum, vt docuimus. Deinde, si merita statuerentur. Ergo omnibus ex iustitia merces esset reddita. At hoc falsum, tum ex verbis patrisfamilias, *An oculus tuus malus est, quia ego bonus sum?* Tum ex iudicio interpretum. Caietanus, *Vbi manifeste liquet gratia patrisfamilias dans nouissimis supra condignum.* Franciscus Lucas, *Idque egit rectè, nullius reprehensioni merito obnoxius, erga illos benignus, erga hos iustus.* Bellarminus paulo ante, non ex iustitia, sed liberalitate factum.

XVI. Sed ille contra. Primum ex propositione. *Multi erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.* Ibi enim de meritis & præmijs agebat: Probat ab occasione: tum adolescens, cui dictum, *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me,* quod meritum est;

Et habebis thesaurum in cœlo : quod præmium. Item Petri, cui postulanti præmium pro meritis ; *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis?* responsum est, *Sedebitis & vos super sedes duodecim.* Nam, quia istis subiectum est statim, *Multi erunt primi nouissimi*: significatum est, propterea primos nouissimos futuros, quia, quamuis primi venerint ad vineam ; minus tamen laborauerint , ideoque minorem mercedem meruerint.

XVII. Secundo, ex initio parabolæ; Operarius est, qui propter mercedem, quam labore suo meretur, laborat. Conducere, est verbum iustitiæ, id est, meriti, & mercedis. Tum, Conuentionem ex denario facere ; iustitia est, non solum gratia. Tertio, *Quod iustum fuerit, dabo vobis*: non potuit apertius meriti & mercedis iustitiam declarare. Denique, *Non facio tibi iniuriam*: quid est, nisi quod iustum erat, dedi tibi? Quid est, *tolle quod tuum est*, nisi quod iustum est, quod tibi debetur, quod meruisti:

XVIII. Sed ista nihil euincunt. Fateor parabolam inductam ad id explicandum de primis nouissimis, sed nego in eo de meritis agi: nec istud euincit occasio. Primo, quia in ea nihil de meritis condignis : sed tantum de ordine præmij adipiscendi: est autem aliud ordo, quam meritum. Neque verum, si quis vel vendat omnia, & det pauperibus, vt habeat thesaurum in cœlis: ideo meruisse hunc thesaurum: non verum , si sessuri sint in thronis ij, qui reliquerint omnia propter Christum , meritos esse eas sedes. Sed verum, ijs Deum illa præmia gratificari. Secundo, etiam si hæc concederem Maldonato: tamen negem sequi in his , *Nouissimi erunt primi*, similiter agi de meritis. Nam hoc etiam Iesuita sumit, sua fretus audacia, non vlla rei aut necessitate, aut euidentia.

XIX. Nec verum , Operarium esse, qui labore suo mereatur: quia mereri est præternominis veriloquium : & aduentitium , vt sit quidem operarius, quicunque meretur suo labore: sed non contra. Quid enim obstat, quominus gratis laboret aliquis in vinea amici? Conducere , concedo esse verbum meriti: sed posse conductis dari vltra meritum, id est, non meritum præmium, nemo hactenus dubitauit: & in hac parabola , præter Maldonatum, alij agnouerunt posse ijs, qui post primos, tantum detrahi de præmio, quantum deerat horarum: itaque denarium integrum donatum non ex iustitia, sed ex gratia: & quidem præter omnium exspectationem. Conuentionem ergo ex denario, fateor fieri secundum iustitiam? sed hic nego vllam factam exceptis primis.

XX. Meriti & mercedis iustitiam designari his verbis, *Quod iustum fuerit, dabo vobis*, possum concedere absque damno: sic enim paterfamilias docuit se noluisse à se reposci denarium pro meritis : sed cauisse mature, vt ne denarium æquè debitum reposcerent. Est enim ac si diceretur: analogiæ hoc fundamentum esse, vt laboris diurni merces sit denarius. Itaque iis, qui tota die non laborarent , ne totum quidem denarium deberi: sed aliquam denarij partem, & quidem varijs variam. Atqui vis parabolæ præcipua, non in conuentione, sed est in persolutione præmij, vbi gratia est. Neque enim in conuentione primi fiunt nouissimi, aut contra; qui tamen parabolæ scopus est: sed tantum in retributione. Quare etiam si in conuentione meritum sit: non est tamen necesse esse in solutione: quandoquidem hæc ordinem inuertit conuentionis.

XXI. Concedo, primis cum datur denarius , dari ex iustitia , dari etiam ex meritis. Sed dari tamen fidelibus vitam æternam ex meritis , nego. Ratio negandi: quia hic denarius datus supponitur iis qui totum diem laborarint: at nego vitam æternam vlli (excepto Filio Dei vnigenito) vnquam datam, qui laborarit totum diem. Neque vero id parabolam necesse est asserere: quomodo non necesse, inducere conuentionem inter eos , qui præmium accipiunt. Sensus est ergo: Si quis daretur , qui totam diem laborasset, huic etiam deberi totam mercedem. Sed dari aliquem , id vero aliunde probandum. Nos autem confecimus non posse dari , cum euicimus neminem non esse peccatorem, & quidem à conceptione, id est, ἅμα πᾷνι.

CAP. XIX.

Passiones non condignæ.

I. NOnum argumentum sufficit Paulus ad Roman. 8. *Statuo ὅτι οὐκ ἄξια, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Siue, interprete Beza: *minime esse paria quæ præsenti tempore perpetimur, futuræ gloriæ in nobis retegendæ.* Perinde est, siue condignas dicas, cum veteri interprete (Augustinus pro non condignis, indignas dixit, de Ciuitate Dei libr. 5. cap. 18. & octoginta trium Quæstion. quæst. 67.) siue pares, cum Beza. Nam si condignas : ergo ipsum meriti condigni nomen negabitur: & directa contradictio erit, Pauli negantis passiones esse condignas futura gloria: & Papistarum, asserentium esse merita condigna. Sin pares, at ijdem docent æqualitatem necessariam esse inter meritum & mercedem. Si ergo omne meritum est par mercedi : & passiones non sunt pares, ergo non sunt merita. Meminerint autem Sophistæ, se antea voluisse vrgere verbum Græcum ἄξια , quasi id meritum significaret. Quod si à se non discedant hoc loco, vident facile, quid inde concludi oporteat.

II. Tantum ictum Bellarminus sperat se leui declinatione elusurum. Loquitur Apostolus, inquit, de substantia ipsorum operum, non de proportione absoluta. Nam passiones huius temporis breues sunt, gloria illa æterna est, tamen proportio est inter has passiones & illam gloriam , propter charitatis dignitatem, vnde procedunt. Cuius fundamentum Tapperus accersiuit ab Aristotele, vnde hausit magno fructu, an fastu ? Æquale esse aliud secundum quantitatem, aliud secundum proportionem : illud esse commutatiuæ, hoc distributiuæ iustitiæ: & illam non esse Dei ad hominem : sed istam. Paulum autem non respicere merita passionum & operum , sed labores & afflictiones, annexas passionibus huius seculi: quæ non possint conferri cum æterna gloria.

III. Et hoc videor intelligere : quasi diceret, cum comparantur boui, aliquot nummi, tum æqualitatem esse inter bouem & nummos: non quamcunque tamen : nam massam vtrinque valde esse inæqualem: sed vt massæ massam non assequatur; at æstimationem pecuniæ tantillæ tamen æquare tanti bouis æstimationem. Similiter durationem æternæ bonitatis immani spatio superare durationem afflictionum , & cæteram etiam quantitatem esse imparem : nihilominus tamen aliquam alicunde proportionem esse.

IV. Hoc quicquid est breuius, indeque obscurius dictum, explicant Pererius, & Costerus. Ille considerari bona opera, primo vt sunt humana , & à libero arbitrio: secundo secundum substantiam operis , & proprias naturalesque conditiones , vt intentionem, durationem , materiæve conditionem: tertio vt proficiscuntur à Spiritu Sancto, per gratiam. Primo & secundo modo, non esse condigna: sed tertio, conuenientem habere proportionem æqualitatis & dignitatis cum præmio vitæ æternæ. Costerus, considerari primo, vt sunt molesta & difficilia: secundo, vt à voluntate nostra dimanant: tertio , vt effecta à Filio Dei, & inhabitante Spiritu, quarto, vt coniunctam habent diuinam promissionem mercedis æternæ. Duobus primis modis non esse condigna: at reliquis duobus contra. Paulum autem loqui de primo modo.

V. Comparemus istos inter se. Distinguit Bellarminus substantiam operum, ab eorum proportione absoluta. Et Apostolum ait agere de substantia. Ergo, inquam, substantia operum illi est, quod Pererio Costeroque primus & secundus modus considerandi opera. Ideoque proportio absolute: quanquam hoc nominis ego non bene concoquo : neque concipere possum (quæ mea tarditas est) vllam in rerum natura proportionem absolutam: quandoquidem omnis proportio relatio est : at nulla relatio est absoluta: condonemus tamen homini alioquin vehementi cura occupato opprimendæ veritatis, condonemus, inquam, hanc illi ἀκυρολογίαν. Ergo illi proportio est in tertio modo Pererij, vel tertio & quarto Costeri ; nam hi proportionem æqualitatis inde repetunt.

VI. Rem iam videamus. Non loquitur de proportione operum. Et tamen, inquam, ἄξια dixit. Atqui Bellarminus cap. 2. Græcos asseruit meritum ἄξιαν dicere, & mereri ἀξιοῦν. Quid? an meritum negabit, significare proportionem? Imo suadeo, vt illud potius recantet: & nobiscum agnoscat non esse perpetuo idem ἄξιον & meritum.

VII. Verumenimuero, si non loquitur de proportione: ergo neque de operibus , quatenus sunt à Spiritu Sancto: aut quatenus habent adiunctam promissionem: nam in his duobus modis proportionem esse agnoscunt Pererius, & Costerus. Atqui falsum posterius. Et mirum est potuisse quenquam, aut tam esse somnolentum , vt non attenderet seriem textus : aut tam impudentem, vt ab ea hæc pauca verba distraheret : *Non enim accepistis spiritum seruitutis, rursus ad metum, sed accepistis Spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba Pater. Qui ipse Spiritus testatur vna cum spiritu nostro , nos esse filios Dei: Quod si filij, etiam hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si modo simul cum eo patimur, vt simul cum eo glorificemur. Nam statuo minimè esse paria quæ præsenti tempore perpetimur, futuræ gloriæ in nobis retegendæ.*

VIII. Viden? audin? vtramque istam conditionem, à qua aduersarij proportionem operum accersunt, disertè expressam ? Nonne enim agit manifestis verbis de fidelibus quatenus acceperunt Spiritum Sanctum? Et ab hoc Spiritu nasci illam confidentiam, qua certi sunt se esse filios Dei? Et ab hac filiatione oriri ius hæreditatis? Et huic iuri additam conditionem vna patiendi ? Quæso te, quisquis es Lector Christiane, quomodo potest à Spiritu esse certitudo filiationis : ab hac certitudine, hæreditas: huius hæreditatis conditio patiendi: & tamen subito passiones considerari absque Spiritu, & nõ aliter, quam in Caino, aut Ismaele, aut etiam Iscariota? Aut, quomodo possunt sine promissione considerari, de quibus tamen, nec longo interuallo, sed statim & immediatè, *hæredes sumus, si compatimur*? Anne hæc nulla promissio? Et neget quisquam impostores esse Bellarminum, Tapperum, Pererium, Costerum?

IX. Oecumenius, Δείκνυσι τὸ ὅλον σχεδὸν τῆς χάριτος· ὃν διὰ τὸ νικᾶν τοῖς αὐτοῖς δοῦναι τὸν Θεὸν, καὶ ὅτι οὐκ ἰσχύομεν ἄξιόν τι τῆς ἐκείνου αὐτοῖς παθεῖν ἢ πρᾶξαι ἐνδείκνυται. *Demonstrat totum hoc ferme gratiæ esse, eo quod superet Deus remunerationibus: quandoquidem non possumus quicquam dignum futura illis remuneratione neque pati, neque conferre.* Quanquam hinc vnum potuit abesse vocabulum σχεδὸν, quo nonnihil deciditur de gratia. Sed constat tamen Oecumenium τὸ ἄξιον considerasse non in substantia, sed in proportione. Theodoretus. *Superant certamina coronæ: non comparantur cum laboribus remunerationes: Labor enim paruus est, sed magnum lucrum speratur. Et propterea non mercedem, sed gloriam vocauit ea quæ exspectantur.* Sedulius, *Puto, quod in præsenti vita consolatio, quæ datur iustis secundum mensuram cruciatuum, detur: gloria vero futura, quæ reuelabitur in nobis, non secundum mensuram passionum, quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.*

CAP. XX.

Contra meritum rationes.

I. HActenus argumenta nostra directe à Scriptura. Nunc erunt rationes variæ. Prima ratio: Nullum meritum est debitum. At omne opus bonum hominis est debitum: Ergo nullum opus bonum hominis est meritum.

II. Huic argumento respondens Porsanus, vtranque antecedentem negat. Prius maiorem: tum exemplo, tum ratione. Exemplo: posse enim operarium debere cuipiam æs magnum, cui tamen suas locet operas. Ratione. Vbi enim ius est, ibi esse proprie iustitiam; at inter duos, quorum vnus alij sit debitor, ius esse posse. Ergo & iustitiam.

III. Sed maiorem qui neget hunc necesse est abire à sensu communi; à quo illud erat in parabola. *Serui sumus inutiles : quod debebamus facere, fecimus,* de quo paulo antè disputatum est. Tum autem Porsanus ipse cap. 6. cum ageret de conditionibus meriti, primam posuit, vt sit liberum, non factum ex necessitate. At, quicquid fit ex debito, necessariũ est, non liberũ; quia pendet ab eius voluntate, cui debetur; non eius à quo fit. Et huc facit ratio

Domini-

Dominici à Soto, pro libertate arbitrij. *Ratio naturalis est: quod mereri est aliquid dare alteri, & conferre in bonum ipsius, nemo vere dat, nisi illud cuius est dominus.* Perge enim: at eius, quod debemus, domini non sumus, vnde apud Latinos debita pecunia, dicebatur, æs alienum. Plena erit conclusio. Ergo debitum non esse meritum.

IV. In rationibus Porsani exilis est & ridicula Sophistice. Nam, qui operarius æs debet, potest sane operas locare, sed, si operas debeat, non potest operas locare easdem. At nos Deo debemus hæc ipsa bona opera, quæ Papistæ iactant esse merita.

V. Ius esse inter debitorem & creditorem, libentes concedimus. Nec negamus ibi iustitiam esse vbi ius est, sed querimur Porsano imperfectum remansisse argumentum, nec ostensum, quomodo inde concludatur meritum. Nam nos quidem negamus, id ius eamve iustitiam non nisi cum merito existere: Esse enim aliquod ius, aliquamve iustitiam debiti. Sic inter herum & seruum, quis neget esse ius aliquod? & tamen à domino seruus non meretur, quod ipse dictat sensus communis. Manet ergo maior certa.

VI. Minorem negat itidem: nempe ex isto, puto, principio, Qui semel sic verecundiæ fines prætergressus, eum oportere esse nauiter impudentem, sed argutatur tamen: Omnia nos quidem fuisse debituros Deo, si sic voluisset. Sed, quæ ille nobis donet, ea nostra esse, quantumuis ab eo prorsus pendeamus. Sic regem beneficium dare, vt penes se tamen sit summum dominium. Deniq; sic Christum à Deo omnia habuisse: & tamen meritum esse.

VII. Sed nobis certa est minor. Debemus enim Deo & nos ipsos, & nostra omnia, tum tanquam creatori, tum tanquam redemptori: Et, vt cætera mittam; bona opera deberi, vel hoc vnum abunde docet argumentum, quod ea non præstantes merito puniamur. Ad Ephes. 6. *Venit ira Dei in filios contumaces.* Item in lege, *Maledictus qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in lege.*

VIII. Concedo, si voluerit Deus nonnulla à nobis non postulare, ea nos illi non debere. Sed esse eiusmodi aliqua bona opera, nunquam probaturum scimus Porsanum. Quia nos contra, scimus exigi pœnas ab iis, qui non præstiterint. Et habemus disertos locos. Primæ Ioannis 2. *Qui dicit se in eo habitare, debet, ὀφείλει, sicut ille incessit, ita & ipse incedere.* Ad Roman. 8. ὀφειλέται ἐσμὲν, *Debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus: nam si secundum carnem vixeritis, futurum est, vt moriamini.* Nec in oratione, alia mente dictum. *Dimitte nobis debita nostra.* Et, quia hæc omnia debentur ex vi legis, si non debemus, relaxata esset lex: At Christus Matth. 5. *Ne existimate me venisse, vt dissoluam legem aut Prophetas.*

IX. Regis exemplum est alienum. Retinet ille sane summũ dominium, sed non retinet subalternum. Itaque donat subalternum: non donat summum. Itaque beneficiarius non potest, cum à rege agnoscit summum illud dominium, ab eo mereri, sed potest, si forte subalterno dominio. Atqui opera nostra bona sunt de iure summi illius dominij, quod sibi totum Deus retinuit. Itaq; hoc ipso fieri non potest, vt ab eo mereamur.

X. Domini nostri exemplum alienissimum est. Quod enim ille habuit à Deo, non habuit per gratiam, sed per naturam, quæ in eo fuit integra, & in statu perfectæ innocentiæ. Itaq; debuit tantum ex iure creationis. Nos vero debemus insuper ex iure adoptionis. Deinde Christus est non homo tantum, sed θεάνθρωπος. Atque inde est meritorum eius pondus. Nam hæc opera non debuit Deus. Quia igitur Deus fecit, ergo merita esse potuerunt, quæ in puro homine non potuissent. Nihil ergo Porsanus promouit.

XI. Ratio altera: Nemo potest mereri eo, quod non sit suum. At opera bona, non sunt nostra. Ergo operibus bonis non possumus mereri. Nostrum intelligimus, respectu eius à quo oporteat mereri. Quanquam de maiori non est, quod contendamus: cum eam conceptis verbis Porsanus concedat, & vero negare non ferebat sensus communis. Sed minorem negat: Nos probamus. Quæ nos habemus à Deo, ea non sunt nostra. At omnia opera bona habemus à Deo, Ergo non sunt nostra.

XII. Hic Porsanus maiorem negat. Eadem enim opera esse, & Dei & nostra, nimirum quomodo Scriptura, & scribentis est opus in solidum, & calami. Itaque Paulum dicere, *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*, prioris ad Corinthios 15. Sic Christum meritum esse operibus, quæ tamen habuerit à Deo.

XIII. Eadem opera esse & Dei & nostra, nullus negat, neque ad rem est obseruatio. Nam argumenti mens est, operibus bonis nos non mereri posse nisi qua nostra sunt. Atqui ea ratione, qua mereri possunt, si possunt, nostra non esse, sed Dei ea in nobis operantis. Enimuero placet scriptionis exemplum, à Porsano indicatum. In Scriptura ductus sunt linearum, in singulis literis. Est & vocabulorum συνταξις, ex quibus oratio scripta conficitur. Dicatur ergo sane tota Scriptura esse ab homine, esse etiam à calamo, sed profecto συνταξις non potest à calamo, etsi per calamum: nam hoc ingenij humani opus est. Similiter in operibus, est operatio ipsa, est & qualitas, per quam non tantum opera dicuntur, sed etiam bona. Operatio ab homine esto, quomodo lineamenta à calamo, sed bonitas tamen à Deo, non ab homine, etsi à Deo per hominem. Atqui opera bona, si quid mereri possunt, non eo merentur, quod sint opera, alioquin etiam scelera mererentur, sunt enim opera, sed eo quod sint bona. Quare opera, ea ipsa ratione, qua mereri possunt, non sunt à nobis, sed ab eo apud quem mereri debent. Quod est absurdum.

XIV. Nihil ergo Porsanus agit, cum probat nostra esse opera. Quanquam hoc ipsum non bene probet, ex Paulo. Quia non sic Paulus dixit, *Non ego, sed gratia Dei mecum*, quasi significans non se solum, sed vna cum gratia Dei, aut etiam non gratiam solam, sed se vna. Græce: οὐκ ἐγὼ δὲ, ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί. Hoc est: *Sed gratia Dei, quæ mecum est*: quomodo expressit Hieronymus contra Pelagianos lib. 2. & notarunt Caietanus, Salmero Iustinianus. Hoc est, non ego is sum, cui tribui debet id omne opus quod effectum, sed gratiæ Dei, quæ mecum est. Concedo vtrique, id est, tum Paulo, tum gratiæ totum opus tribui, quod Salmero voluit, concedo significatum auxilium, atque opitulationem, quod Iustinianus: Sed id ita intelligendum, non quomodo duæ principes causæ concurrunt, sed quomodo instrumentum seruit principi: nimirum, vt etsi sua efficacitas sit instrumento, tamen opus proprie referatur ad principem causam. Nam cæterum, absit vt ab his verbis nos intelligamus, quod Iustinianus notauit, nullum à Paulo adhibitum fuisse conatum, nullum laborem, aut industriam.

XV. De Christo iam dictum. Habuit sane sua, quæcunque habuit à Deo, sed non vt externo principio, quia est ipse Deus, ac proinde habuit à se ipso; quia habuit à Deo. Potuit ergo mereri. Sunt enim eius operationes omnes θεανδρικαί.

XVI. Tertia ratio: Quodcunque est meritum condignum, iustam habet proportionem ad eum à quo meretur, & ad præmium. At bona opera non habent iustam proportionem, aut ad Deum, aut ad vitam æternam. Ergo non sunt merita.

XVII. Respondet Porsanus, aliam esse æqualitatis proportionem, aliam condignitatis. De æqualitate concedit assumptum, negat maiorem. De condignitate concedit maiorem, negat minorem. Quia operibus addita sit gratia, instar imaginis regiæ, quæ monetam format. Hæc autem gratia extollit opera, vt reddat digna obiecto.

XVIII. Sed nihil est difficile. Nam nos hanc ipsam condignitatis æqualitatem intelligimus in argumento, & descripsimus per iustam proportionem ad eum à quo merentur. Hanc ergo ipsam nos negamus. Et rationem habemus negandi, quia hæc proportio posita est in iustitiæ qualitate, qua sine opera bona nulla aut esse aut dici possunt. Considerantur autem vel omnia, vel singula. Nempe, quia primum oportet singula eiusmodi esse, vt ne sint infecta peccato, vt si per martyrium, exempli gratia, velit quis vitam æternam à Deo mereri, tum necesse sit hoc perfectum esse, & omnibus numeris absolutum, vt nullum det locum cuiquam imperfectioni, quę aduersetur iustitiæ. Ratio facilis ab ipsa nummi similitudine, cui non est satis insculptam esse effigiem Cæsaris, nisi etiam sit purus, nec recisus. Atqui iam nulla nostra opera sunt non impura, non recisa. Itaq; nulla sunt merita.

XIX. Sed altera ratio est ex omnibus. Nam vita æterna non promittitur vni alicui bono operi, aut certæ cuidam operum parti, quomodo emendo agro non necesse est suum vniuersum thesaurum quempiam impendere, sed promittitur omnibus, adeo vt si emenda sit, omnibus simul operibus bonis sit acquirenda. Nimirum, quia *maledictus qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in lege, & qui in vno peccat, fit omnium reus.* Nec vero partibilis est vita, vt si non totam, at tantam queas obtinere. Imo, aut tota habenda, aut tota carendum, ideoq; aut omnibus operibus comparanda, aut nullis. Et patet, quia Christianis omnibus omnes iustitiæ partes cõmendantur. Prioris Petr. 1. *Sicut is qui vocauit vos Sanctus est, ipsi quoq; sancti in omni conuersatione, διὰ πάσης ἀναστροφῆς reddamini.* Atqui rursus nemo omnium est, aut fuit, aut erit, qui omnia sua opera exhibuerit iusta: nam in multis offendimus omnes. Itaque duplici iam nomine deficit proportio meritis necessaria.

XX. Atqui operibus addita gratia est. Ita est, sed hæc gratia, vel qualitas operibus inhærens significatur, vel indulgentia Dei. Si qualitas; negatur ea gratia effici opera digna mercede, sine digna Deo, quia hæc gratia non omnino peccatum aufert, quamdiu sumus in hac vita. Sin autem indulgentia, condonans quicquid est imperfecti, hæc vero tollit omnem meriti rationem.

XXI. Illis operum defectibus Salmero se sperat satisfacturum varie. Primo, illud Lutheri dogma, statuentis cuiusuis iusti opus damnabile coram Deo, reprobatum, & à sanis mentibus tanquam insanum explosum. Secundo, imperfecta esse opera iustorũ, si ad perfectionem comparentur, quæ futura est in patria. Sed hanc perfectionem Deum à viatore non exigere. Tertio, esse etiam imperfecta propter pugnam spiritus & carnis, sed hanc imperfectionem purgatam esse sanguine Christi, nec imputari à Deo. Quarto, multa iustorum opera, si strictius exigantur, nonnihil mereri correctionis, & emendationis, sed non esse tamen damnabilia ex eo, quod ex feruenti charitate Dei non procedant. Quinto, peccatum veniale consistere cum iustitia.

XXII. Non merentur ista longam considerationem. Et de primo quidem capite disputata controuersia est, vt ne sit nunc opus actum agere. Quod ad secundum attinet, illa perfectionis ficta distinctio est, quia non potest esse nisi ad præscriptum legis. Sed si tamen ei locus aliquis dandus, vt memini nonnihil simile ab Augustino fictum, quod alias notauimus: nempe oportet intelligi secundum intentiorem aut remissiorem iustitiam: quæ tamen sit vtrinque vere iustitia, & nihil habens admixti peccati. Ast ego dico sanctis in hac vita, non eam tantum deesse iustitiæ perfectionem, quæ est intensissima, sed illam etiam remissiorem, quæ nihil habeat peccati. Et id probari iis argumentis quæ sunt allata.

XXIII. Purgatam esse huiusmodi imperfectionem sanguine CHRISTI, quod erat in tertio capite, absit vt negemus. Sed si purgata sit, etiam mereri, hoc vero omnes absurditatis terminos excedit. Purgatur enim non nisi per remissionem admixti peccati. Remissio autem & meritum in vno maxime eodemque opere opponuntur δι' ἀλλήλων. Non esse damnabilia ea quæ non procedunt à feruente charitate, ex iam dictis intelligi potest, potest enim concedi, vt prius dictum de intentione & remissione: Nam si charitas non tantum sit non feruens, sed remissa, verum etiam peccato vitiata, tum damnabilia dicimus, quæ inde procedunt, quia nusquam peccatum est, non damnabile. Itaque Veniale consistere cum iustitia, fatemur, si imputatam, si gratuitam intelligas, sed, si meritoriam ex condigno, negamus, quanquam venialis peccati monstrum, confossum est propria pugna.

XXIV. Sed videte indignum Salmeronis facinus. Audiit obiectum illud seuerissimum, *Maledictus qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis.* Huic vulneri ita medetur. Primo, id maledictum non fuisse super æternis bonis, quia hæc pendebant ex susceptione Christi, ideo ad Iudæos tantũ pertinere, non ad nos. Secundo, in lege Euangelij non ferri maledictum statim ac quis præuaricatus sit, sed si in præuaricatione perseuerarit. Esse enim gratiæ beneficium, *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.* Ezechiel. 33. Nam Christum in finem seruare maledictionem cum dicturus est, *Discedite maledicti in ignem æternum*, Matth. 25. Tertio, maledictionem Christi non venire à peccato leui, & veniali, quod oratione & aliis bonis operibus dispungatur.

XXV. Ego vero miror potuisse primum illud cuiquam Theologo venire in mentem, tam per se absurdum, tam alienum à vera Theologia. Mitto quam sit verisimile, Idololatris, Blasphemis, præter temporalia detrimenta, nullum à lege supplicium proponi? Aut, nullos fuisse Iudæos ante Christum damnatos pœnis post hanc vitam æternis. Mitto illud Augustini, *maledictio-*

nemsid est, pœnam æternam, expositione secunda Psalm. 108. Sed cur non attendunt viri Theologi, si Theologi, maledictionis eius vsum nullum esse posse, nisi inter Judæos, si non fuit nisi temporalis? At Paulus longe producit latius; vt probet neminem, non tantum Judæum, sed ne Gentilem quidem iustificari per legem. Itaq; curiose notas vniuersalitatis adscripsit, ὅτι, *Quotquot ex operibus legis sunt, sub exsecratione sunt, scriptum est enim, execrabilis quisquis non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea*, ad Galat. 3.

XXVI. Quid? quod ibidem paucis interpositis verbis, *At Christus nos redemit ab execratione legis*, siue, vt habet Latinus interpres, *à maledicto legis*. Quos, inquam, *nos?* an Judæos tantum? At Paulus Galatas, non Judæos, sed Gentiles alloquitur. Deinde, non tantum Justinianus, sed etiam Salmero, fatentur intelligi tum Judæos tum Gentiles. Ergo, inquam, maledictum non tantum temporale, sed etiam æternum. Nihil enim me mouet vtriusque subtilitas, distinguentium maledictum commune cum Adam, vnde sumus natura filij iræ, & maledictum peculiare non seruantibus legem: nam etsi insulsitatis plus habeat, quam conueniat Thologo, tamen sufficit, quod vtrumq; sub his Pauli verbis comprehendi agnoscant, inde enim conficitur vtrumque esse maledictum legis, à quo nos Christus liberarit. Vnde mihi certa conclusio, maledictionem legis absurdissime describi huius vitæ terminis, tum etiam Judaici populi limitibus. Sed potius vere, & certe extendi in omnes homines, & super omnes homines.

XXVII. Secundum concedo, sed quid inde accedat meritis non video: Etiamuero non hoc tantum maledictum in extremum vsque diem differtur, sed ei maledicto opposita etiam benedictio, *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à iactis fundamentis mundi.* Etsi verum, recipi quotidie in sinum Abrahæ sanctos expectaturos beatam resurrectionem, sed nec minus verum, detrudi quotidie ad inferos, rebelles expectaturos vltimum iudicium.

XXVIII. Maledictum Christi non venire à peccato leui & veniali, primo Papisticum est somniantium ἀνεγλόγιστα in distinctione peccatorum, de qua alias dictum, secundo dico, à nullo peccato venire condonato, siue illud magnum sit, siue leue, sed tantũ ab imputato, neq; enim eos duntaxat damnari, qui Christum tradiderunt, sed neq; iis tantum condonari, qui leuicula illa peccarunt, quæ pro exiguis labeculis vix dignantur agnoscere Papistæ, sed & damnari eos, qui longe minus peccarunt, quam Chorazitæ, & misericordiam consequi primos peccatorum.

XXIX. Ratio quarta: Quæ dona sunt Dei, eadem non possunt esse merita condigna apud Deum: Atqui bona opera sunt dona Dei, nõ possunt igitur merita esse apud Deum. Minor est extra controuersiam. Maior patet ex sensu communi: Nam meretur operarius à patrefamilias, nõ per ipsam illam pecuniam, quam accipit, sed per laborẽ suum, quem non habet ab eo. Potest quidem aliquis mereri per ea quæ sibi donata fuere, sed apud alium, vt seruus ille qui acceperat talenta à domino, fœnerabatur: at non domino, verum aliis quibuscunque, quomodo & nos iis ipsis operibus bonis, quæ accepimus à Deo, mereri possumus à proximis.

XXX. Aduersarij negant maiorem. Porsanus obiicit Christum, qui meritus sit apud Patrem, à quo tamen omnia acceperit. Alfonsus de Castro confugit ad Veteres, affirmantes opera nostra esse Dei dona, & tamen merita nostra, vt Augustin. Epist. 105. *Ipsa vita æterna, quæ vtiq; in fine sine fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur, tamen quia iam merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa vita æterna gratia nuncupatur: non ob aliud nisi quia gratis datur, nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt ipsa merita, quib. datur.*

XXXI. Sed de Christo responsum est, quæ habuit, ita accepisse à Patre, vt tamẽ à se ipso habeat. Itaq; illud *accipere* longe aliter sonat in eo mysterio, quam in hac nostra controuersia, nimirum accepit per generationem Christus: at nos accipimus per gratiam: itaque, quæ ita accipimus, non habemus ex nobis, sed mere aliunde. Quare hæc exceptio nulla est.

XXXII. Veteres agnosco ita esse loquutos, vt dicerent dona Dei esse merita nostra: In eoque crebrum esse Augustinum, sed & alios, maxime post Augustinum. Verum nunquam auditum apud eos vel nomen meriti condigni, de quo nostra disputatio est instituta: Res ipsa multo minus. Nam ij meritum dixerunt impropriissime. Quod, ne longe abeam, docet Augustinus hoc ipso, qui citatur, loco, vbi diserta ista, *Vita æterna in fine sine fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur*: quæ verba quid significant, nisi propter solam consequentiam nominari merita, nimirum quia præcedant opera, sequatur autem vita æterna? Quod sane longissime abest à merito proprie dicto, id est, condigno.

XXXIII. Ratio quinta: Quicquid derogat meritis Christi, oppositum est fidei Christianæ. At merita condigna operum humanorum derogant meritis Christi. Ergo eadem opposita sunt fidei Christianę. Maiorem nemo negat, neque enim potest aliter: cum merita Christi sint basis fidei Christianæ. Probatur ergo minor. Quia mereri significat ius acquirere, quod antea non habebatur, siue ex toto, siue ex parte saltem. Sic enim operarij in diurnum denarium nullum est, nisi per operas, nec antea has potest illum à patrefamilias vllo suo iure postulare. Ideoque, proprie loquendo non potest quis mereri, quod iam suum est. Si ergo vitam æternam mereremur nostris operibus, ius aliquod acquireremus in eam, quod non habebamus. Si solidum, ergo nihil nobis Christus meruit, sin autem partiale: ergo aliquid est in æterna vita, quod nobis Christus non meruit. Vtroque autem modo, manifestum est derogari meritis Christi.

XXXIV. At aduersarij negant minorem. Negationis rationem varie exprimunt. Sanderus. Nam iis, inquit, meritus est vitam æternam, non qui nihil essent acturi ea in causa, sed qui per gratiam eius crederent in ipsum, & spatium temporis cum suppeteret, ambularent in iis operibus, quæ nobis ad eum finem præparasset, vt in eis ambularemus. Ambulare autem ex gratia in operibus bonis, quibus vita æterna ex gratia promittitur, nihil aliud est, quam ex gratia mereri vitam æternam.

XXXV. Sed nos concedimus ita nobis Christum esse meritum, vt tamen noluerit otiosis contingere vitam æternam, imo ambulantib. in iis operibus, quæ præparauit ad eum finem. Negamus vero hoc ambulare in iis operibus, esse mereri vitam æternam. Imo hoc ipsum impugnatur ea ratione, qua confirmata est à nobis minor, cui rationi nihil opponitur.

XXXVI. Salmero, Dicendum est; nostra & Christi merita pariter requiri, quia ita voluit. Nec propterea Christi meritis derogatur, non enim exiguntur, quasi sua non sufficerent, sed quia decens non erat, vt absq; nullo nostro opere Christi merita nobis applicarentur. Nam quia assimilandi illi eramus in gloria, par erat, vt & in gratia configuraremur, & inueniretur misericordia & veritas in hac via Domini.

XXXVII. Sed hic nihil audimus, præter nuda Salmeronis decreta, pro arbitrio constituentis, quid decens sit, quid æquum, denique, quid Deus voluerit, quasi eum prætorem nobis aliquis constituisset finiendis controuersiis Theologicis. Sed nos ab immani ista tyrannide liberos fecit Deus. Vtraque, inquit, requiruntur, quia Deus voluit. Sed nos contra dicimus, nihil velle Deum, contra disertum suum verbum, quia mendax esse non possit. Est autem ex diserto eius verbo verum, Christum nobis in solidum meruisse vitam æternam, quod necessario falsum, si eadem promerenda sit nostris operibus. Itaque non possunt vtraque requiri merita.

XXXVIII. Non decuisse nobis applicari merita Christi absque nostris operibus, nonnihil habet ambigui, itaque neque simpliciter concedi, neque etiam negari potest. Nam merita Christi, intelligi possunt, vel illa, quibus nobis Christus meruit, vel illa, quæ nobis meruit. Priori modo applicari nobis merita Christi signabit, quicquid iustitiæ fuit in Christo, factum esse nostrum, vt inde ius nobis certum esset in vitam æternam, & hoc modo vehementer abire dicimus Salmeronem à rei veritate. Quia non aliter nobis ea merita applicantur, quam sine operibus. Non possumus enim saluari, siue tu initia salutis dicas, siue perfectionem, sine applicatione meritorum Christi. At saluatos nos esse sine operibus diserte pronuntiauit Paulus. Quomodo ergo non decens applicari merita Christi, sine nostris operibus? Et omnino concedunt aduersarij primam gratiam dari absque operibus, siue meritis. Altero modo sensus erit, non esse decens conferri nobis vitam æternam absque nostris operibus, quod etsi negari possit, exemplo infantium, tamen concedatur sane in adultis. Sed quid ad hoc rem? Nam opera non sunt necessario merita, & solutio hæc incidit in eam Sanderi, de qua iam dictum.

XXXIX. Par est, inquit, vt Christo in gratia configuremur. Quomodo, inquam? Nam id aliquomodo verum: nimirum, quatenus sanctos nos esse oportet, sicut ille sanctus est. Et inde Paulus dixit, nos conformes fieri Christo. Sed quicumque eam conformitatem extendunt ad merita, vt sicut Christus meruit, etiam nos mereamur, imo quicquid ille meruit, & nos mereamur, næ illi Theologi sunt nugatores, ne quid dicam durius.

XL. Tapperus respondet, potius Christum eiusque merita magis glorificari, confitendo meritum esse nobis non tantum vitam æternam, sed etiam vt eandem mereri possimus. Explicat simili, quia sicut maior est Christi gloria, cum Apostolis concessit vt miracula ederent, quam quod ipse ediderit, sic etiam, cum nobis concessit, vt vitam mereamur. Costerus inducit Medicum, ita curantem morbum, vt non tantum infirmitatem & dolorem auferat, sed etiam vires reficiat, ad opera quælibet etiam ardua sufficientes.

XLI. Sed isti abutuntur nostra simplicitate, qui de alliis interrogati, decepis respondeant. Nos dicimus detrahi meritis Christi, isti negant detrahi Christo: & hoc se persuasuros sperant, si aliam dent rationem augendæ gloriæ Christi. Quasi, si cur dicenti neminem peccatorem redemptum, quis obiiceret hoc modo minui misericordiam Dei: at ille responderet, nihil deperire gloriæ diuinæ, quia sic apparet infinita eius iustitia. Hoc quidem diceret plausibiliter, sed non euinceret tamen, non minui misericordiam. Gloria enim Dei & misericordiam comprehendit & iustitiam. Omnino similiter gloriam Christi forte quis doceat incolumem, qui prædicet effecisse, vt nos possemus mereri: at non ille tamen nõ detrahet de iis meritis, quibus idem Christus nobis vitam meruit æternam, quod nostrum est argumentum.

XLII. Præterea illud absurde dicitur, maiorem esse gloriam, si Christus efficiat, vt mereamur, quam si ipse in solidum sit nobis meritus. Ratio, quia quæritur hic laus beneuolentiæ, non vero potentiæ. Nam potentiam, non inuitus agnouerim magis elucere in miraculis patratis ab Apostolis, quã ab ipso immediate Deo, propter infirmitatem naturalem illorum. Sed beneuolentiæ longe alia ratio est. Is enim sine dubio munificentior est longe, qui opes amplas largitur inopi de suo, quam qui facultatem ei dat quærendi opes proprio labore. Et sine dubio de illa liberalitate multum ille detraheret, qui in ea prædicanda hoc tantum commendaret.

CAP. XXI.

De fiducia operum.

I. SExta ratio paulo erit prolixior, quia habet peculiarem controuersiam: Si operibus promereatur fidelis vitam æternam, ergo licebit fideli confidere suis operibus. At hoc absurdum. Ergo & illud. Consequentia facile confirmatur, quia licet confidere in omni vera causa, quæ ad finem optatum consequendum idonea est. At si operibus promeremur vitam, tum opera sunt vera causa vitæ. Ergo liceret operibus confidere. Quo argumento Bellarminus vtitur, capite septimo quinti de Justificatione ad propositionem secundam.

II. Probanda igitur assumptio. Primo, Pauli ad Philip. 3. hoc fuit votum, vt comperiretur in Christo, *non habens*, inquit, *meam iustitiam quæ est ex lege, sed eam, quæ per fidem est Christi, iustitiam ex Deo per fidem.* En quam longe abfuerit ab iis, qui confidunt operibus suis, nam hæc iustitia est legis. Quod si Paulus non putauit sibi suis confidendum, quid alij facient?

III. Tum autem si licet confidere, ergo & gloriari. Quia hoc est gloriari, non tam magnificis verbis sua extollere facta, quam magnificis cogitationibus, quandoquidem verba nihil sunt, nisi indicia cogitationum. At non licere gloriari de operibus, constat ex Paulo ad Roman. 3. *Vbi est gloriatio? Exclusa est. Per quam legem? operum? Non, sed per legem fidei.* Quarto, *Si Abraham ex operibus iustificatus fuit, habet quod glorietur: at non apud Deum.*

IV. Tertio: Si licet operibus confidere, ergo ex operibus oportet esse iustitiam apud Deum. Quia salutis causa nulla esse potest præter iustitiam, quæ vere sit iustitia apud Deum. Psalm. 15. *Domine, quis habitabit in tabernaculo*

suo

tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingredietur sine macula, & operatur iustitiam. Esaiæ 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Qui ambulat in iustitiis, & loquitur veritatem.* Atqui bonorum operum nulla iustitia, quæ vere sit iustitia apud Deum, prout alias prolixa disputatione probatum est. Ergo non licet cuiquam suis operibus confidere.

V. De consequentia non pugnant aduersarij. De consequente quis sit eorum sensus, antea monuimus: nimirum posse aliquam fiduciam collocari in operibus. Huius igitur sensus argumenta nunc examino. Et ex Scripturis quidem colligit Bellarminus aliquot locos, ex quibus constat pios apud Deum meminisse, suorum operum: Nehem. 5. *Memento mei, Domine, in bono, secundum omnia quæ feci populo huic.* Psalm. 18. *Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, quia custodiui vias eius.* Isaiæ 38. *Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim,* Esther 14. *Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud sicui pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentij mei, & quod non comederim in mensa Aman.* Denique poster. ad Timot. 4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.*

VI. Atqui somnolentior hic fuit Bellarminus profecto, qui vim nullam argumenti indicarit. Ego sane video nonnullam piæ vitæ commemorationem apud Deum, sed fiduciam positam in pia vita, siue operibus, nullam video. Neque video necesse, vt quisquis commemorat sua opera, etiam iis confidat. Apparet exemplo Pauli, qui, etsi sibi peracto legitimo certamine dicat esse repositam coronam iustitiæ, quæ certe aliqua confidentia est: at idem tamen, negauit se velle inueniri cum sua legis iustitia, vnde apparet nullo modo confisum esse suis operibus. Clarius Nehemias, qui cum prius capite quinto & sexto, & alias rogasset Deum, vt sui esset memor secundum omnia, quæ fecerat, tandem, capite decimo tertio, explicat his verbis: *Pro hoc memento mei Deus, & parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum.* Quid manifestius? Nam quid opus ei parci, qui suæ confidit iustitiæ? Et quidem secundum miserationes?

VII. Alios locos Alphonsus de Castro colligit. Ex Tobiæ 4. *Fiducia magna erit coram Deo, eleemosyna omnibus facientibus eam.* In quibus verbis, inquit aperte docet Tobias fiduciam coram Deo licite collocari in Eleemosyna facta.

VIII. Respondeo, primo autorem esse Apocryphum: à quo præcessit illud longe durius: *Eleemosyna ab omni peccato, & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*, quod, vel falsum est, vel certe multa indiget curatione, vt non sit incommodum. Secundo, dissentiunt à Græcis Latina vocabula. Nam Græce nihil est absurdi, Δῶρον γὰρ ἀγαθόν ἐστιν ἐλεημοσύνη πᾶσι τοῖς ποιοῦσιν αὐτὸ ἐνώπιον τοῦ ὑψίστου. *Donum enim bonum est eleemosyna omnibus facientibus eam coram Altissimo.* Tertio, Bellarminus vtitur hoc eodem loco, vt probet non ex fide solum, sed ex bonis operibus nasci fiduciam, & quidem postquam sollicite distinxit, aliud esse, nasci fiduciam ex operibus, aliud constitui in operibus. A quo nos certe non sumus alieni, qui confessi sumus in constituendo statu quæstionis cap. 5.

IX. Addit ex Iob. 7. Vita hominis super terram est, sicut dies mercenarij. Sicut enim mercenarius, inquit ille, præstolatur finem operis sui: sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi. Mercenarius autem sperans mercedem laboris sui, non solum habet fiduciam in veritate & bonitate domini, à quo fuit conductus ad laborem, sed etiam confidit in suo proprio labore: quoniam optime intelligit se non recepturum à domino mercedem, quamuis ille sit bonus & verax, nisi propter laborem suum.

X. Optime, si Franciscana somnia totidem essent demonstrationes. Sed, quis homuncioni permisit oblatas similitudines producere in infinitum? Certe Jobus, tum temporis fiduciam nullam versabat animo, multo minus fiduciam ex meritis congruis. Argumenta. Primum axioma est vniuersale de vita non fidelium tantum, sed hominum. Perspicue. *Militia est vita hominis super terram, & sicut dies mercenarij dies eius.* At falsum omnium hominum esse merita condigna, quibus fidere possint. Alterum, suam ille perpetuam miseriam exprimit, & sine fine labores, *Sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, sic & ego habui menses vacuos*, Hieronymus, siue quisquis est pro eo alius. *Similiter & ego me consequi arbitrabar, sed pro vmbra refrigerij incurri æstus pœnarum, & pro mercede mei operis, vacuus dimissus sum.* En tibi egregium argumentum fiduciæ!

XI. Sed est tamen vita hominis, sicut dies mercenarij. Esto, inquam, quid tum autem? At mercenarius fiduciam ponit in suo opere. Et hoc esto, inquam. Ergo homo fiduciam ponit in suis operibus: At hoc negatur, inquam. Ratio, quia, quæ sunt similia, non sunt, nisi κατά τι similia. Aduentus Christi similis est aduentui furis, Matth. 24. sed in eo tantum, quod vterque sit incertus, non enim vterque ad malefaciendum. Hic ipse mercenarius opus domino nullo iure debet, nisi ex compacto. An sic fideles Deo? Item, non omnes suas operas mercenarius, sed certas duntaxat. An Papistæ Deo seruiunt tantum ad numerum? Quæ cum ita sint, immanis est audacia, ex proposita parabola, verbum temere decerpere, cuius occasione, quasi libero aperto campo, petulanter exsultes, euagandi nullis propositis terminis. Sani certe interpretes non discedunt ab autoris mente.

XII. Quid? quod mercenarius in opere suo non confidit, nisi absoluto iuxta compactum? Nos ergo oportet ex eius similitudinis vi, operibus nostris non confidere, qui pensum perficimus nunquam, semper deficimus, nec in toto duntaxat, sed etiam in singulis partibus, adeo vt nec absoluamus totum, nec ea ipsa quæ facimus, non faciamus male. Et his operibus quisquam confidat.

XIII. Argumentatur iterum ex Matth. 9. *Confide filia, fides tua saluam te fecit.* In quibus verbis docuit illam licite fiduciam salutis posse habere, quia fidem tenebat, præcepit ergo, vt confideret in illo, & in fide, quam de illo conceperat?

XIV. Mirum argumentum! à fide ad opera. Atqui hæc illi apud Apostolum perpetuo opponuntur, adeo vt tollant se mutuo. Fide enim seruari, minime vero operibus. Quinetiam Salmero ad Galatas disputat. 17. ad argumentum 8. *Dicendum est, hic non esse sermonem de fide & aliis præparationibus, quæ ad percipiendam gratiam disponunt, constat enim in illis nullum esse iustitiæ meritum.* Audin', Alfonse, in fide nullum esse meritum iustitiæ? Quid ergo fides ad probandum fiduciam in meritis operum reponendam?

XV. Iterum ex primæ Joannis 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus.* Docet nos ex adimpletione mandatorum Dei posse concipere fiduciam obtinendi à Deo, quicquid orantes petierimus.

XVI. Sed primum illud falsum de adimpletione legis. Dixit Joannes, quia mandata eius custodimus, non autem implemus. Non esse autem idem vtrumque manifestum, quia nullus peccator implet mandata, & tamen aliquis peccator custodit mandata. Nam omnis fidelis custodit, & tamen omnis fidelis peccator. Nimirum, quia custodire mandata dicitur non tantum de omnibus numeris absoluta obedientia, cuiusmodi in Christo etiam dum in terris viueret, item in sanctis receptis in patriam, sed etiam de inchoata, custodit enim, qui incipit custodire.

XVII. Deinde argumentum non est ad thesim, non enim negamus ex bonis operibus, siue, vt ille loquitur, ex adimpletione legis, nasci fiduciam, sed in bonis operibus constitui: Ioannem autem illud concedimus dicere, hoc negamus.

XVIII. Postremo argumentatur ex Poster. ad Timoth. 4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Videte, quantam se dicat Paulus habere fiduciam assequendi coronam iustitiæ propter præclara opera, quæ meminit se fecisse.

XIX. At ego Papistas miror tam inconstantes, aut certe tam obliuiosos, qui nunc nobis confidentissimum Paulum propinent, quem tamen alias, quasi exemplar diffidentiæ obiiciunt. Meminimus enim, cum de fidei securitate ageremus, detortum illud fuisse, Nihil mihi conscius sum, & tamen in hoc non sum iustificatus. Vide libri 13. cap. 15. Sed nos tamen in his Pauli verbis ingentem agnoscimus, & vere Christianam fiduciam, dignam, vnde fideles omnes sui consolandi occasionem sumant. At fiduciam in operibus, fiduciam in meritis nullam ne ostendisse quidem Alphonsum obseruare possumus: asserentem duntaxat, audimus: Et ridemus. Nam cursum consummasse, fidem seruasse, etsi significet bona opera fecisse, tamen non significat nunquam peccasse. Itaq; etsi meminerit Paulus præclarorum suorum operum, tamen non significat sibi propter ea opera reddendam coronam, qua de re alias disputatum.

XX. Bellarminus addit exempla Veterum. Hieronymo teste, Paulum Eremitam morti proximum dixisse, *Peracto cursu superest mihi corona iustitiæ.* Et Hilarionem, *Egredere anima mea, egredere, quid times? septuaginta prope annis seruisti Christo, & mortem times?* Teste Sulpitio, Sanctum Martinum, diabolo adstanti, *Quid hic astas, cruenta bestia? nihil in me funeste reperies. Abrahæ me sinus excipiet.* Teste Bonauentura, Franciscum, *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me exspectant iusti, donec retribuas mihi.*

XXI. Quid hæc, inquam, ad rem? aut quo peregrinabatur Bellarmini disputantis animus? Nam hæc verba, vt plena sunt pietatis & fiduciæ, ita nihil habent meritorum, de quibus oportuit Bellarminum agere. Nobis ergo vtilia fuissent huiusmodi exempla, cum contendebamus certos esse fideles de exitu suo felici, quod pertinaciter negabant Papistæ, negabat ipse Bellarminus, sed nunc nihil habent virium.

CAP. XXII.

Authoritates Patrum contra merita.

I. NEc vero Patres Catholici meritis condignis sunt propitij: Ex quibus paucos Bellarminus locos explicare conatus est. Nos addemus alios.

II. Primum constituit Hilarium in Psal. 51. *Spes in misericordia Dei in seculum, & in seculum seculi est. Non enim ipsa illa iustitiæ opera sufficient ad perfectæ beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei etiam in hac iustitiæ voluntate, humanarum demutationum & motuum vitia non reputet.* Respondet Hilarium docere duntaxat, cum bonis meritis admisceri peccata quædam, quæ, tametsi non faciant hominem iniustum, cum sint leuia & venialia, tamen remissione & misericordia indigent, quia nihil coinquinatum intrare potest in regnum cœlorum.

III. Nos contra. Primo, illud de veniali peccato somnium à nobis iam solide esse profligatum, & vero his ipsis verbis conuinci absurdissimũ, tum quod negetur facere hominem iniustum, quo quid potest dici alienis à bona mente? Certe, ab Apostolo, qui peccatum definiuit ἀνομίαν. Rursus negat facere iniustum, & tamen concedit facere coinquinatum. Age, inquam, quod illud, quæso, coinquinationis genus est, si non est iniustitiæ? Et, si est iniustitiæ, quomodo non facit iniustum? Secundo Hilarium dicere, bona opera non sufficere ad beatitudinis meritum, hoc vero multis parasangis distat à Bellarmino substituente, meritis admisceri vitia. Enimuero, quod non sufficit ad meritum, non potest esse meritum: At, qui meritis dicit misceri vitia, supponit esse merita, id est, directe contradicit.

IV. Succedit Basilius, cuius hæc sunt in Psal. 114. *Manet sempiterna requies illos, qui in hac vita legitime certauerunt, non ob eorum merita factorum, sed de munificentissimi Dei gratia, in qua sperarunt.* Bellarminus primo versionem suggillat: Græce legi παρέκειται γὰρ ἀναπαυσις αἰωνία τοῖς νομίμως τὸν ἀγῶνα διαθλήσασι βίον. καὶ κατ' ὀφείλημα τῶν ἔργων ἀποδεδεδομένη, ἀλλὰ κατὰ τοῦ μεγαλοδώρου Θεοῦ, οἷς εἰς αὐτὸν ἤλπικησι παρεχομένη. Hæc significare requiem æternam reddendam legitime certantibus, non secundum debitum operum, sed secundum debitum Dei munificentissimi, id est, non pro mensura operum, sed pro mensura magnificentiæ Dei, siue, non quantum debetur operibus, sed pro mensura magnificentiæ Dei, siue non quantum, sed multo amplius, quantum videlicet decet munificentiam diuinam.

V. Nos vero agnoscimus in Græco textu non exprimi gratiam, quam Latinus interpres, quisquis est, expressit in secundo membro. Verumtamen primo, facile apparere cuiuis iudicioso lectori, non commode repeti ὀφείλημα, sed hiare potius locum defectu vnius voculæ, quomodo infinitæ occurrunt

sunt in bonis authoribus luxatæ sententiæ, exscribentium culpa. Nam ὀφείλημα Dei, quis non audiat inuitus? Tum autem, ὀφείλημα pro decentia longe durissimum. Itaque merito dabunt cordati veniam supplenti aptissimum nomen gratiæ, & vsitatissimum in Scripturis. Præterea, vt nihil remittat Bellarminus de suo summo iure, tamen manet certissimum remoueri à Basilio ὀφείλω ἔργον, id est, meritum operum: nam, quod meritum est operantis, id debitum est eius, cuius gratia opus fit. Itaq; vrgeat, quantum volet ὀφείλω Θεοῦ: dum tamen ne sit ἔργον ὀφειλόμενον, nihil nobis perit: nam promissio dici potest debitum Dei, & poni absque vllis meritis.

VI. Sed iterum respondet, etiam posita Latina versione, nihil sequi contra merita. Dicemus enim, inquit, à Basilio excludi merita, quæ sint homini à se, & prædicari ea quæ sint à gratia. Nam cum dicitur, manere requiem æternam legitime certantes, aperte ponit merita. Cum autem dicit, non ob merita factorum, sed de munificentissimi Dei gratia, indicat neminem legitime certare suis solis viribus. Ego contra vrgeo καὶ κατὰ ὀφείλημα τῶν ἔργων, phrasin, quæ opera non distinguit, sed vniuersa complectitur. Enimuero, si merita conceduntur saltem post gratiam: Ergo vita æterna daretur secundum debitum operum post gratiam, ideoque & secundum debitum operum: quomodo, quod animal est rationale, est animal. Quomodo ergo, qui negat animal, negat animal rationale, sic qui debitum negat operum, negat debitum operum post gratiam. Nec verum, qui dicat, requiem æternam manere legitime certantes, eundem ponere merita operum: minime vero omnium, Basilium, qui contrariam exceptionem manifeste addidit, καθ' ὀφείλημα τῶν ἔργων: qua fit perspicuum in hoc differre fideles seruandos, ab iis, qui certant in stadio, quod his, non illis ex merito brauium debeatur.

VII. Hieronymus ad Demetriadem, *Si humiliaueris te sub potenti manu Dei, & scriptum semper memineris, Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Vbi autem gratia, non operum retributio, sed donantis est largitas, vt impleatur dictum Apostoli, Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* Præclare: adde enim, atqui vita æterna est gratia: & integram claramque habes conclusionem: Ergo vita æterna non est operum retributio. Aduersus Pelagianos lib. 1. *Helizabet & Zacharias, nos docere possunt, quanto inferiores sint beatæ Mariæ matris Domini sanctitate, quæ, conscientia in se habitantis Dei, libere proclamat: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo. In quo animaduerte, quod beatam se esse dicat, non proprio merito, atque virtute, sed Dei in se habitantis clementia.* Si de matre Dei verum, cur de reliquis negent Papistæ hyperdulistæ? Lib. 2. *Omne os obstruitur, & obnoxius est omnis mundus Deo, quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram eo, nullaque distantia est personarum, omnes enim peccauerunt, & indigent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius. Sic autem scribit: Existimamus fide iustificari hominem sine operibus legis, siquidem vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem: Manifeste ostendit, non in hominis merito, sed in Dei gratia esse iustitiam, qui sine legis operibus credentium suscipit fidem.* In 2. ad Galat. & illud, *Nos natura Iudæi. Nos, id est, ego & tu, Petre, cum essemus, inquit, natura Iudæi, ea facientes quæ lege præcepta sunt, & non ex Gentibus peccatores, scientes quod non possemus ex legis opere, sed ex Christi saluari fide, credidimus in Christum, vt quod lex nobis non dederat, fides tribueret.*

VIII. Chrysostomus ad Colossenses Homil. 2. Διὰ τὴν κλῆρον καλεῖ, δεικνὺς ὅτι οὐδεὶς ἀπὸ καταρθωμάτων οἰκείων βασιλείας τυγχάνει. ἀλλ' ὥσπερ ὁ κληρονόμος ἐπιτυχίας μᾶλλον ἐστί, οὕτω δὴ καὶ ἐνταῦθα· οὐδεὶς γὰρ πιστεύσει ἐπιδεικνυτὰ πολιτείαν, ὥστε βασιλείας ἀξιωθῆναι· ἀλλὰ τῆς αὐτοῦ δωρεάς ἐστι τὸ πᾶν. Διὰ τοῦτο φησὶν, ὅταν πάντα ποιήσητε, λέγετε ὅτι ἄχρειοι δοῦλοι ἐσμεν, ἃ γὰρ ὠφείλομεν ποιῆσαι, πεποιήκαμεν, *Cur vocat sortem, ostendens quod ex bonis suis actionibus & recte factis nemo regnum assequitur. Sed quomodo sors est potius boni euentus, ita hic quoque. Nullus enim sic se vitam probauit instituisse, vt dignus habeatur regno, sed quicquid id est, donum est eius. Propterea dixit, Cum omnia feceritis, dicite, Serui inutiles sumus, quæ enim debuimus facere, fecimus.* In Epistolam ad Philippenses, Homil. 11. καὶ καλῶς εἶπεν, ἐμὲ δικαιοσύνην, οὐχ ἣν Διὰ πόνων καὶ ἱδρώτων κατασκευάζομεν, ἀλλὰ τὴν ἀπὸ χαρᾶς φησιν. εἰ τοίνυν ὁ κατορθώσας ἀπὸ χαρᾶς σώζεται, πολλῷ μᾶλλον ὑμεῖς· ἐπειδὴ γὰρ εἶχον ἣν αὐτοὺς λέγειν ὅτι μείζων αὕτη ἡ δικαιοσύνη, ἣ Διὰ πόνων, δείκνυσιν, ὅτι σκύβαλον τοῦτο ἐστι πρὸς ἐκείνην. καὶ γὰρ εἴ ποτε ἐγὼ κατορθώσας, αὐτὴν ῥίψας τούτῃ προσέτρεχον. ποία δὲ ἐστιν αὕτη; ἡ ἀπὸ πίστεως τοῦ Θεοῦ γινομένη καὶ αὕτη Διὰ Θεοῦ δίδοται· Θεοῦ ἐστι αὕτη ἡ δικαιοσύνη· δῶρον ἐστι· αὕτη ὁ ὁλόκληρον. τὸ δὲ τοῦ Θεοῦ δῶρον, πολλῷ τοῦ μέτρου ὑπερβαίνει τὴν ἀτέλειαν τῶν κατορθωμάτων τῶν Διὰ τὴν ἡμετέραν σπουδὴν γινομένων. *Et recte dixit, meam iustitiam, non, quam laboribus & sudoribus quæsiui, sed quæ est à gratia, inquit: Si ergo is ipse, qui præclara opera gesserat, ex gratia seruatur, multo magis vos. Quoniam enim verisimile erat eos dicere maiorem esse iustitiam, quæ laboribus constet, ostendit hanc præ illa quisquilias esse, neque enim vnquam ego tot rebus præclare gestis hac abiecta ad illam confugissem. Quænam autem illa est? Quæ ex fide Dei, hoc est, etiam hæc à Deo data est. Dei est hæc ipsa iustitia. Donum est omnino. At vero Dei dona longo interuallo excedunt exiguitatem bonorum operum quæ nostro studio fiunt.*

IX. Chrysostomo succenturiatus accedit Oecumenius in 1. caput ad Coloss. καλῶς δὲ κλῆρον, οἱονεὶ κληρονομίαν τινὰ καὶ δωρεὰν, καὶ γὰρ ἄξια τοῦ παθήματος τοῦ νῦν καὶ οὐδὲ πρὸς τὴν μέλλουσαν ἀποκαλύπτεσθαι δόξαν. *Recte sortem, quasi hæreditatem quandam & donationem, non enim dignæ sunt passiones huius temporis quæ comparentur reuelandæ gloriæ.* Theophylactus, *Sortem vbique appellat, vt ostendat, quemadmodum sors nulla obueniat humanæ solertia, sed casu quodam & fortuna potius terminetur, ita & nos nullo nostro vel officio vel virtute cœlesti dignamur imperio, sed Dei munere quodcunque est boni, ad nos defertur. Propterea Dominus, inquit, Dicite, quoniam inutiles serui sumus, fecimus quod facere debebamus.*

X. Marcus Heremita de iis, qui se putant ex operibus iustificari, cap. 2. Ὁ Κύριος πᾶσιν τοῖς ὀφειλομένοις δεῖξαι φίλοις, τὴν δὲ ὑποθεσίαν ἰδίῳ αἵματι δεδωρημένοις τοῖς ἀσθενέσι φάσιν. ὅταν πάντα ποιήσητε προστεταγμένα ὑμῖν, τότε εἴπατε: δοῦλοι ἄχρειοί ἐσμεν, καὶ ὃ ὀφείλομεν ποιῆσαι, πεποιήκαμεν. Διὰ τοῦτο οὐκ ἔστι μισθὸς ἔργων ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, ἀλλὰ χάρις δεσπότου πιστοῖς δούλοις ἡτοιμασμένη, *Dominus omne legis præceptum debitum volens ostendere, adoptionem vero proprio sanguine dari hominib. dicit, Cum omnia feceritis imperata vobis, tunc dicite, Serui inutiles sumus: Et quod debebamus facere, fecimus. Propterea non est operum merces regnum cœlorum, sed gratia heri fidelibus seruis destinata.* Et 3. Οὐκ ἀπαιτεῖ δοῦλος ὡς μισθὸν τὴν ἐλευθερίαν, ἀλλ' εὐαρεστεῖν ὡς ὀφειλέτης, καὶ καθ' ὅλου ἀναπαύεται, *Seruus non postulat libertatem tanquam mercedem, sed acquiescit tanquam debitor benignitatem heri sentiens, & ex gratia suscipit.* Et 4. Χριστὸς ἀπέθανεν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, κατὰ τὰς γραφὰς, καὶ οἷς οὐ δουλεύουσιν αὐτῷ τὴν ἐλευθερίαν χαρίζεται. *Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas: & iis qui bene ipsi seruiunt, libertatem largitur gratuito.* Et 17. Τινὲς μὴ ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς, πιστεύειν ὀρθῶς νομίζουσι· τινὲς δὲ ποιοῦντες, ὡς μισθὸν ὀφειλόμενον τὴν βασιλείαν ἀναδέχονται, ἀμφότερα τῆς βασιλείας ἀπεφάλησαν. *Quidam non facientes præcepta, se tamen recte & sane credere existimant. Rursus sunt nonnulli facientes, qui tanquam debitam mercedem regnum cœlorum se suscepturos sperant. Horum vtrique à regni cœlestis possessione frustrati excident.* Et 18. Παρὰ δεσπότου μισθὸς δίδοται καὶ χαρίσεται, καὶ οὐ πάντα ἀνάμη δίδοσιν τοῖς ὀρθῶς ἐλευθερίας τυγχάνουσιν. *Ab heroseruis nulla merces debetur, neque rursum nisi bene seruientes libertatem consequuntur.* Et 19. Εἰ Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε κατὰ τὰς γραφὰς, καὶ καθ' ἑαυτοὺς ἐσμεν, ἀλλὰ τοῦ ὑπὲρ ἡμῶν ἀποθανόντος καὶ ἐγερθέντος, δηλονότι δουλεύειν αὐτῷ ὀφείλομεν· πῶς οὖν ὀφειλομένῳ τὴν ὑποθεσίαν λογισόμεθα; *Si Christus pro nobis mortuus est secundum Scripturas, neque viuimus nobis, sed ei qui pro nobis mortuus est, & resurrexit, nimirum seruire ei ad mortem vsque tenemur, quomodo igitur adoptionem debitam reputabimus?* Et 12. Ὅταν ἀκούσῃς τῆς γραφῆς λεγούσης, ὅτι ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, οὐκ ἔργα λέγει χάριν τῆς βασιλείας αὐτῆς, ἀλλ' ἔργα τῆς ἑαυτοῦ πίστεως ἢ πίστεως, ἃ Χριστὸς ἀποδίδωσιν ἑκάστῳ, οὐκ ὡς σωμαλάκτης προσγραφόντων, ἀλλ' ὡς Θεὸς κτίστης καὶ ἀγαθοποιὸς ἡμῶν, *Quando audis Scripturam dicentem, quod redditurus sit vnicuique secundum opera sua, non opera dicit gehenna regnoue digna, verum opera fidei in se, vel infidelitatis, quæ Christus remuneraturus sit vnicuiq; non tanquã permutationem exercens rerum, sed tanquam Deus creator, & redemptor noster.* Et 22. Ὅστις δὲ λουτροῦ τῆς παλιγγενεσίας ἠξιώθημεν. τὰ ἀγαθὰ ἔργα, καὶ οἱ ἀποδοσιν προσφέρομεν, ἀλλὰ διὰ φυλακὴν τῆς δοθείσης ἡμῖν καθαρότητος *Quicunq; ad regenerationis lauacrum admissi sumus, bona opera non propter remunerationem proferimus, sed propter custodiam donatæ nobis puritatis.* Et 24. Βλέπεις πῶς πᾶσα ἕως θανάτου ἐπιτελουμένη ἀρετὴ, οὐδὲν ἔπεργον ἢ ἁμαρτίας ἐστὶ· ἀπαρχὴ ἁμαρτίας ἡ ἀπαρχὴ, φύσεως ἐστὶ ἔργον, καὶ βασιλείας αὐτάλλαγμα, *Viden' omnem virtutem quæ ad vsq; mortem exercetur, esse abstinentiam à peccato?* (Nimirum exempla præcesserunt, sobrietas, abstinentia edacitatis, castitas, voluptatis: humilitas, vanæ gloriæ; & similia) *Atqui, abstinentia à peccato naturæ opus est, non vero regni meritum,* siue, vt vertit Ioan. Picus, *quod regni permutatione nequaquam pensandum est.* Et 54. Ὁ ποιῶν ἀγαθὸν, καὶ ζητῶν αὐτὸν ἀποδοσιν, καὶ δουλεύει Θεῷ, ἀλλὰ τοῦ ἰδίου θελήματος, *Qui facit bonum, & quærit mercedem, non seruit Deo, sed propriæ voluntati.*

IX. Augustinus in hanc partem multus est, sed paucula quædam Bellarminus ab eo exceptâ putauit suo instituto sufficere, eaq; delumbata in Psal. 70. conc. 2. *Tua peccata sunt; merita Dei sunt. Supplicium tibi debetur, & cum præmium venerit, sua dona coronabit, non merita tua.* Sermon. 15. de Verbis Apostoli, *Pro nihilo saluos facies illos: nihil inuenis vnde saluès, & multum inuenis vnde damnes.* De Gratia & Libero arbitrio, cap. 9. *Maluit dicere, gratia Dei vita æterna, vt intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere.*

X. His tam paucis respondet, Augustinum docere, primo iustitiam nostram, cui redditur vita æterna, veram esse iustitiam, ac per hoc vere meritoriam, non autem imperfectam, vt peccatum dici possit, secundo, distinguere hominem, qualis est sine gratia Dei; & qui solis suis viribus operatur, ab eo qui per gratiam. Illi non deberi vitam æternam ex merito, sed gratis donari, huic vero dicere, deberi vitam æternam ex merito, quia dicat, reddi iustitiam tanquam stipendium. Vtrumque colligit ex Epist. 105. ad Sixtum, & de Gratia & Libero arbitrio, cap. 6. 7. 8.

XI. Sed prius illud caput pertinet, non ad hanc quæstionem, sed ad illam de Perfectione iustitiæ, quæ disputata est libro vndecimo, vt non sit necesse nunc prolixius discuti. Tantum obiter, nego Augustinum quicquam asserere eiusmodi, videlicet, aut veram esse iustitiam, aut dici non posse peccatum. Nam verba eius sunt ex Epistola ad Sixtum, *Cui debetur vita æterna, vera iustitia est, si autem vera iustitia est, ex te non est; desursum est, descendens à Patre luminum, vt haberes eam, si tamen habes, profecto accepisti.* Quis hic non videt Bellarmini importunitatem? Nam illud, *Cui debetur vita æterna, vera iustitia est*: maior est syllogismi propositio, quæ nostram iustitiam non nominat, sed eam cui debetur vita æterna. Et hanc nos omnes concedimus esse non tantum veram, sed etiam perfectam, nec dici posse peccatum: Sed quæstio restat, vtrum nostra iustitia sit ea cui debeatur vita æterna: Hanc Augustinus non asserit. Itaque assumit, non categorice, sed hypothetice: *Vt haberes, si tamen habes.* Vt nec poneret tanquam verum, habere quenquam eam iustitiam, nec disputaret tamen, quo non erat opus aduersus Pelagianos, quorum controuersiæ status is erat, vtrum à se & suæ naturæ viribus homo posset saluari. Cæterum aurea sunt eius hæc verba ex capite vigesimo septimo decimi noni de Ciuitate Dei: *Hic siue illa communis, siue nostra propria, talis est pax, vt solatium miseriæ sit potius, quam beatitudinis gaudium. Ipsa quoque nostra iustitia, quamuis vera sit propter veri boni finem, ad quem refertur, tamen tanta est in hac vita, vt potius peccatorum remissione constet, quam perfectione virtutum.* Hæc Viues explicans: *Magna enim ex parte sumus boni, non quod bene viuimus, sed quod commissorum scelerum nobis fit à Deo gratia.*

XII. Alterum caput, magis est ad rem. Et fateor in disputatione contra Pelagianos, hanc distinctionem non vtilem tantum, sed etiam fuisse Augustino necessariam, quia Pelagiani, non simpliciter volebant hominem iustificari ex operibus, sed diserte, sine gratia, id est, posse ex se & suæ naturæ viribus iuste viuere, indeque obtinere salutem. Sed nego propterea verum esse, ab eo asseri opera, quæ fiunt per gratiam, esse vere merita, quibus ex condigno debeatur vita æterna. Nam appellari merita, & ante concessi, & quo sensu, explicaui.

XIII. Sed excludi merita, non tantum præcedentia gratiam, sed etiam consequentia, doceo. Primo ex his: *Vt intelligeremus non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere.* Enimuero perducere ad vitam æternã, consummationem significat salutis, non autẽ duntaxat

xat initia. Atqui, si merita excluduntur duntaxat ante gratiam, admittun.ur post gratiam; Ergo secundum merita perficietur salus, & perducemur ad vitam æternam, quod ipsum disertissime negat Augustinus. Sensisset fortasse cum Papistis, si dixisset, Non pro meritis nostris deduxit nos ad gratiam, siue ad initia salutis, siue ad spem vitæ æternæ, sed longe aliud dixit, cum dixit, Non pro meritis perducet ad vitam æternam. Rectè dicam, sine pane dat nobis initium vitæ Deus, quis enim contradicat? At non recte, sine pane perduxit nos Deus ad vltimam senectam, quis enim nescit Deum vti pane ad prorogandam cuique vitam?

XIV. Rursus, *Cum præmium venerit, sua dona coronabit, non merita tua.* Quid illud est, *cum præmium venerit?* An prima gratia? An initium salutis? Negant ipsi Papistæ, qui negant ibi locum esse meritis, ideoque & præmio. Ergo de eo ipso loquutus est Augustinus, in quo maxime Papistæ merita defendunt. Loquutus, inquam, de vita æterna. Habemus igitur, eo autore, tum temporis, cum donabitur nobis vita æterna, redditum iri quidem nostris operibus, sed non tanquam meritis. Quod ipsum disertius cap.7. de Gratia & Libero arbitrio, *Non Deus coronat merita tua, tanquam merita tua, sed tanquam dona sua.* Et de Tempore, sermon.49. *Exaudi me, Domine in iustitia tua: hoc est, non in mea, si diceret, Exaudi me in iustitia mea, tanquam meritum vocaret.* Et iterum, *Tunc Deus coronabit, non tam merita tua, quam dona sua, quicquid tibi donauit, si seruasti, cognoscit.* Attende geminum respectum in operibus bonis, alterum quatenus merita, alterum quatenus dona. Vtro ergo respectu redditur illis vita, redditur corona? Attende: nam hic nodus est. Diserte Augustinus, non tanquam merita, sed tanquam dona. Sensus est: Corona iustitiæ reddetur operibus bonis: at non tanquam essent merita tua, sed quatenus sunt dona Dei. Quis non cæcos dicat, qui hoc non videant? surdos, qui non audiant?

XV. Magni hæc momenti consideratio est: quia infinitis locis occurrit apud Augustinum, vitam æternam reddi operibus, & tamen esse gratiam, quia ipsa opera data sint ex gratia. Vnde hauserunt Papistæ subtilem hanc separationem operum ante gratiam, & operum post gratiam, quasi illis quidem negari posset, meriti nomen, istis vero concedi deberet. At hoc est præter Augustini mentem, cuius hæc doctrina fuit, operib. ante gratiam nullo modo reddi vitam æternam, sed operib. post gratiam, reddi quidem: at non tanquam meritis, sed tanquam donis. Nimirum quia meritum oporteat à nobis esse, cum tamen bona opera non sint à nobis. Si operibus bonis tanquam meritis redderetur vita, ergo bona opera coronarentur tanquam à nobis, non tanquam dona. At coronantur tanquam dona, non tanquam à nobis, ergo iisdem redditur vita, non tanquam meritis.

XVI. Nostra igitur sunt quæcunque eiusmodi occurrunt, qualia illa ipsa quæ ostentauit Bellarminus, vt ex Epistol.105. *Ipsa vita æterna, quæ in fine sine fine habebitur, & ideo meritis præcedentib. redditur, tamen quia eadē merita quibus redditur, non à nobis parta sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, nō ob aliud nisi quia gratis datur, nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur.* Et post, *Cui debetur vita æterna, vera iustitia est, si autem vera iustitia est, ex te non est, desursum est, descendens à patre luminum. Vt haberes eam, si tamen habes, profecto accepisti, quid enim habes, quod non accepisti? quapropter, homo, si accepturus es vitam æternam, iustitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est ipsa iustitia. Tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset iustitia cui debetur.* De Gratia & Libero arbitrio, cap.6. *Cum dicunt Pelagiani, hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur, illam vero quæ datur in finem, id est, æternam vitam, meritis nostris præcedentibus reddi, respondendum est eis: Si enim merita nostra sic intelligerent, vt etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia, quoniam vero merita humana sic prædicant, vt ea ex semetipsis habere hominem dicant, prorsus rectissime respondet Apostolus, Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Prorsus talia cogitanti verissime dicitur, Dona sua coronat Deus, non merita tua, si tibi à teipso, non ab illo sunt merita tua. Hæc enim si talia sunt, mala sunt, quæ mala sunt, non coronat Deus, si autem bona sunt Dei dona sunt.* Sed enumerare plura non est necesse, quia singulis pene paginis recurrunt.

XVII. Tertio illud ipsum inde probatur, quod eorum etiam meritum Augustinus excludit in quibus dispensationem salutis gratia inchoauit, adeo vt sola supersit gratiæ corona. In Psalm.142. *Cum diceret Propheta, Propter nomen tuum viuificabis me in iustitia tua.* Non de præterito viuificasti, vt intelligi posset prima gratia, quam iam accepisset, sed in futurum *viuificabis*, vt intelligatur id quod supererat post eam primam gratiam, secundum quam erat iam viuificatus, ac proinde illud ipsum, vbi necesse est meritum esse, aut nusquam esse, ex ipsa Papistarum doctrina. Hic ergo Augustinus, *In iustitia tua, non in mea, non quia ego merui, sed quia tu misereris: nam si meum ostenderem meritum, nihil abs te mererer nisi supplicium. Auulsisti merita mea, inseruisti dona tua, propter nomen tuum viuificabis me.* De Tempore sermon.15. *Tempus mœstitiæ, laboris, miseriæ peccata nostra nobis repererunt. Tempus vero lætitiæ, quietis, felicitatis, non venit de meritis nostris, sed de gratia Saluatoris. Aliud meremur, aliud speramus. Meremur mala, speramus bona. Hoc facit gratia eius qui creauit nos.*

XVIII. Sed & vide, quod imperfectionem iustitiæ in iustissimis quibusque asserat, ad eo vt iustificationem constituat in remissione. Sermon.49. de Tempore. *Sequitur, Et non intres in iudicium cum seruo tuo, Quid est, non intres in iudicium cum seruo tuo? Non stes mecum in iudicio, exigendo à me omnia quæ præcepisti, & omnia quæ iussisti. Nam me inuenies reum, si in iudicium intraueris mecum. Opus est ergo, inquit, mihi misericordia tua potius, quam liquidissimo iudicio tuo Quare, ergo ne intres in iudicium cum seruo tuo? Sequitur & dicit, Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Seruus enim sum. Quare mecum stas in iudicio? Miser icordia Domini vtar. Quare? Quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Quid dixit? Quamdiu viuitur in hac vita, nemo iustificatus est sed in conspectu Dei. Non frustra addidit, in conspectu tuo, nisi quia potest esse iustificatus aliquis in conspectu hominum, vt & illud impleatur, Secundum iustitiam quæ est ex lege, qui sine querela in conspectu fuerim hominum. Referat in conspectu Dei, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Quid ergo facturi sumus? Clamemus, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Clamemus, Ne intres in iudicium cum seruo tuo, Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.*

XIX. Prosperum discipulum Augustino magistro subiiciamus. De Vocatione Gentium lib.1.ca.5. *Deus multimoda vocationis varietate ad vnam gratiam pertinentem, etiam illa regula Euangelica comparationis adstruxit; qua ostendit patremfamilias diuerso tempore conducentem operarios vineæ sub pactione denarij, quo vita æterna significatur æqualitas, vbi sine dubio hora vndecima intromissi in vineam, totius diei operariis exæquati, istorum, de quibus nunc loquimur, præferunt sortem, quos ad commendandam gratiæ excellentiam in defectu diei & conclusione vitæ diuina indulgentia munerauit, non labori pretium soluens, sed diuitias bonitatis suæ in eos quos sine operibus elegit, effundens, vt etiam ij qui in multo labore sudarunt, nec amplius quam nouissimi acceperunt, intelligant donum se gratiæ, non accepisse mercedem.*

XX. Bellarminus explicat, eo sensu dictum, vitam æternam donum esse gratiæ, non mercedem operum, quo sensu dixit Augustinus, dona sua coronat Deus, non mertta tua, videlicet, operum quæ sint in nobis tanquam à nobis, sed à gratia Dei. Porro non negare Prosperum vera merita, quæ oriantur à gratia, ex his constare verbis eodem loco, *Bona merita sunt in homine post adeptam gratiam, non autem præcedere.*

XXI. Consensum Augustini & Prosperi, absit vt dirimam. Non potest sane vita æterna esse præmium operum bonorum, quæ sint à nobis, quandoquidem hæc omnino nulla sunt. Sed ne horum quidem quæ in nobis sunt à gratia, præmium esse ex condigno; Prosper adeo aperte cōfirmat, vt nisi sponte cæcutienti, obscurum esse non possit. Primo enim denarium dixit esse vitam æternam, hanc dari inæqualiter laborantibus æqualem, ideoque non mercedem laboris. Quasi exprimeret, si daretur merces laboris, dandam esse inæqualiter laborantib. inæqualem. Deinde laborantibus dari. At hi quando laborant? Num, ante quam sint vocati? Antequam promissa merces? Id est, ante primam gratiam? Minime vero. Nam parabola directe contra est. Quid ergo vitilitigatio, quid tergiuersatio est, quid calumnia, si hæc non est? Audiamus. Iis operariis, qui post vocationem laborarunt inæqualiter, datur æqualis vita æterna. At si merces esset laboris, daretur inæqualiter. Ergo iis, qui post vocationem laborarunt inæqualiter, non est merces laboris. Non est ergo meritum in labore, quod nos volumus. Aliter: Non est merces laboris. Sed cuius laboris? In vinea, an extra vineam? Manifesta est parabola. Itaque omnino intelligit Prosper, ne operum quidem factorum ex gratia (nam hæc sunt in vinea) mercedem meritam ex condigno dari vitam æternam. Denique, si merces est operum ex gratia: Ergo vel opera oportet esse æqualia, vel, si hæc inæqualia, illam inæqualiter dari, quod vtrumque falsum.

XXII. Quare, quod addit Bellarminus, non negare Prosperum vera merita, quæ procedunt ex gratia, neque verba retinuit, neque sensum Prosperi. Merita nominat: at nunquam vera merita. Sed audi verba, *Omnibus hominibus, cuiuslibet generis, cuiuslibet conditionis & ætatis, causa percipiendæ gratiæ voluntas Dei est, apud quam ratio electionis abscondita est, ab ea gratia incipientibus meritis, quam accepere sine meritis.* Patumne sibi Jesuita arrogat, qui non merita cum Prospero, sed vera merita audet nominare? Nimirum illa sua ex condigno semper cogitans. Sed non sic Prosper, qui hæc ipsa merita ex gratia à suo didicit Augustino, de quo, quæ dixi supra, de Prospero etiam dicta volo.

XXIII. Sed audi eundem Prosperum eod. cap. & mirare: dissimulatum à Bellarmino, *Quod si & ad illos dirigas mentis intuitum, qui longam agentes in flagitiis & sceleribus ætatem, sacramento baptismatis Christi in ipso fine vitæ renouantur, & sine vllo suffragio bonorum operum in regni cœlestis consortium transferuntur, quo intellectu diuinum Iudicium comprehendes, nisi vt indubitanter agnoscas gratuita esse Dei munera, & sicut nulla sunt tam detestanda facinora, quæ possint gratiæ arcere donum, ita nulla posse tam præclara opera exire, quibus hoc quod gratis tribuitur, per retributionis iudicium debeatur: Vilesceret enim redemptio sanguinis Christi, nec misericordiæ Dei humanorum operum prærogatiua succumberet, si iustificatio, quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, vt non munus largientis, sed merces esset operantis.*

XXIV. Bernardus serm.r.de Annunciatione, *Neq; talia sunt hominum merita, vt propter ea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret, nisi eam donaret.* Serm.15.in Psa. *Quis habitat. Totum hominis meritum est, si totam spem suam ponat in eo, qui totum hominem saluum facit.* Serm.61.in Cantica, *Proinde meritū tuum, miseratio Domini.* Itē altercando cum Diabolo, dixit, *Fateor, non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtinere cœlorum. Cæterum dominus meus duplici iure illud possidens, hæreditate patris, & merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat.*

XXV. Ad primum istorum locorum respondet Bellarminus, mentem esse Bernardi, non deberi vitam æternam ex meritis, iure absoluto, nimirum quia præsupponenda sit & gratia & promissio. Hoc probat, quia idem dicat paulo post propterea non deberi meritis ex iure, quia merita ipsa nascuntur ex gratia. Ad reliqua loca respondet, intelligendum merita nostra non esse ex nobis, sed ex misericordia Dei. Vel fortasse, Bernardum ex humilitate, quæ propria merita ignorat, aut ex incertitudine gratiæ, prudenter non esse confisum meritis sui, sed soli misericordiæ diuinæ.

XXVI. Sed Bellarminus nunquam exsuit Jesuitam, adeo nihil non peruerse agit. Nam Bernardum dico loqui de ipsis meritis præsupposita gratia & promissione, itaq; asserere, nulla esse fidelium post acceptam gratiam merita, quibus, etiā ex vi promissionis, debeatur vita æterna Aduerte, *Necesse est* inquit, *primo omnium credere, quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei, deinde quod nihil prorsus habere queas operis boni, nisi & hoc dederit ipse, postremo, quod æternam vitam nullis potes operibus promereri, nisi gratis detur & illa.* Nota ordinem. Nam manifestum est non enumerari tria capitta, quæ seorsim singula subsistant, sed tres gradus potius, à quorum primo progressus fit ad secundum posito primo, & inde ad tertium positis primo & secundo. Nimirum, vt primum obtineatur gratis remissio peccatorum, deinde, vt, sic remissis peccatis, obtineantur à Deo bona opera, tertio, vt & remissis peccatis, & obtentis bonis operibus, tamen rursus gratis detur vita æterna.

XXVII. Et quidem primi secundique nexus est manifestus, nec negabitur ab aduersariis: vnde iam verisimilis fit tertij nexus cum præcedentibus. Sed quia mihi res est cum prefractæ fronts hominibus, verisimilitudine non agam, agam disertis verbis. Primo, quod hæc videntur verba, quæ haud ita multo post leguntur: *Ipse enim peccata condonat, ipse donat merita, & præmia*

nihilo-

nihilominus ipse redonat. Nihil mihi quidem esse potest disertius. Condonat peccata, hæc non negatur esse mera gratia. Rursus donat merita: consentiunt aduersarij. Sed etiam ita datis meritis redonatur præmium. Quid est *redonatur?* Nempe nouo munere donatur, adeo vt distincta sit donatio operum, & donatio vitæ. At si propter opera, id est, ex merito operum obtineretur vita, omnino vna esset donatio, quomodo si mihi diues aliquis donet aliquam pecuniæ summam, vnde ego lucrum multiplicem, donauerit ille mihi sane hoc lucrum, sed non redonauerit, nimirum eo tantum donarit, quia ante pecunias illas. Quare necessario Bernardo alia mens fuit, quam Bellarmino.

XXVIII. Iterum attende seriem orationis. Vt illud tertium probet, de donata vita æterna: *Iam vero*, inquit, *de æterna vita scimus, quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, nec si vnus omnes sustineat. Neque enim talia sunt hominum merita, vt propter ea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret, nisi eam donaret. Nam, vt taceam, quod merita omnia Dei dona sunt, & ita homo magis propter ipsa Deo debitor est, quam Deus homini, quid sunt merita omnia ad tantam gloriam? Denique, quis melior est Propheta, cui Dominus ipse tam insigne testimonium perhibet, dicens, Virum inueni secundum cor meum? Veruntamen & ipse necesse habuit dicere, Non intres in iudicium cum seruo tuo, Domine. Nemo igitur se seducat, quia, si bene cogitare voluerit, inueniet proculdubio quod nec cum decem millibus possit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se.* Habes hic distincte tria argumenta, quibus probat neminem operibus posse promereri vitam æternam. Primum, quod ipsa opera sint ex Dei gratia, & hoc quidem obiter. Vt taceam, inquit, quod merita Dei dona sunt. Et tamen hoc solum Bellarminus obseruandum putauit. Nimirum magno eius causæ emolumento: cætera oportuit dissimulata, quæ omnino melius nunquam fuissent prolata, est merita congrua essent stabilienda. Sed alterum Bernardi argumentum si ab inæqualitate maxima operum & præmiorum, tertium ab imperfectione iustitiæ propter hærens peccatum. Hoc autem vtrumque argumentum verum est, & necessarium, non in operibus tantum nostris ante gratiam, sed omnino omnibus, imo tertium, duntaxat in iis quæ post gratiam, antequam non imperfecta, sed omnino nulla esse potest iustitia. Quare sensus est Bernardi, etiam supposita gratia & promissione, tamen non deberi meritis vitam æternam.

XXIX. Merita nostra non esse ex nobis, sed ex misericordia Dei. Itane? hoc Bernardus? Hoc tantum Bernardus? O Jesuitæ! Sed reprimo. Audi Bernardum, *Maiorem miserationem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro addictis morti & damnatis. Meum proinde meritum, miseratio Domini. Non plane meriti sum inops, quamdiu ille miserationum non fuerit. Quod si misericordiæ Domini multæ, multis nihilominus ego in meritis sum. Quid enim si multorum sim mihi conscius delictorum? Nempe, vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Hic mihi tu duo nota. Primo confidentiam, dum se certissimum proponit sibi abundare merita. Non igitur ea, quæ ex gratia fluunt opera: nam hæc adeo non est certa abundantia, vt Bellarminus ipse confugere cogatur ad incertitudinem gratiæ, ad ignorationem meritorum, ad humilitatem. Secundo, cum huic meritorum confidentiæ obiici sibi sentit multitudinem peccatorum, tum opponere gratiam abundantem, vbi abundet peccatum. Quid absurdius, quam simul confiteri abundantiam suorum peccatorum, & iactare abundantiam suorum meritorum, suorum, inquam, operum? Adde illud ex serm. 23. in Cantica, *Non peccare Dei iustitia est, hominis iustitia, indulgentia Dei.*

XXX. Sed erat illud fortasse ex humilitate ignorante sua merita, erat ex incertitudine gratiæ. Propudium! Imo, inquam, ex serio sensu suæ corruptionis, ex certitudine iniustitiæ. Audi eundem ex serm. 27. in Cantica, *O solus vere beatus, cui non imputauit Dominus peccatum. Nam qui non habuerit peccatum, nemo. Omnes enim peccauerunt, & omnes egent gloria Dei. Quis accusabit tamen aduersus electos Dei? Sufficit mihi ad omnē iustitiam solum habere propitium cui soli peccaui. Omne quod mihi ipse non imputare decreuerit, sic est quasi non fuerit. Non peccare Dei iustitia est, hominis iustitia indulgentia Dei.*

FINIS LIBRI DECIMI QVARTI.

LIBER DECIMVSQVINTVS.

De

OPERVM NECESSITATE.

Caput Primum.

DE NECESSITATE OPERVM SECVNDVM EFFICIENTIAM.

DE Operum Necessitate disputantes legi, Bellarminum de Iustificatione libr. 4. capitibus primis nouem, & ei oppositum Paræum. Item, Salmeronem ad Galatas, disputat. 14. Becanum, Opuscul. 6. Tom. 1. cap. 2.

II. Becanus à suis scripsit doceri, Opera esse necessaria ad salutem, ac neminem saluari posse, nisi qui legem obseruarit. Nimis inconsiderate: nam hæc profecto definitio omnibus infantibus præripit spem omnem salutis. Itaque, Bellarminus prudentior, cap. 7. *Intelligimus*, inquit, *hoc esse necessarium hominibus rationis vsum habentibus, & qui tandiu post adeptam remissionis gratiam superuiuant, donec occasio legis implendæ occurrat. Non enim negamus, quin infantes, & etiam adulti recens baptizati saluentur, si continuo ex hac vita decedant.*

III. Gemina ergo exceptione Bellarminus Becani ἀκροπόδιον corrigit, vna infantium, altera adultorum subito post Baptismum morientium. Quarum illam quidem nos admittimus, hanc vero non item, & persuasissimum habemus adulto nulli prodesse Baptismum, absque vllo bono motu conscientiæ, iam credentis, quod ipsum opus est, postulantisque Baptismum & iam reipsa subiicientis sese legi Dei. Nam, etsi non requirantur semper externa opera, quæ propter varia impedimenta præstari non possunt, tamen, non propterea nulla opera non putamus. Sed hæc pars pendet ab alio Papistico dogmate, de efficacia Baptismi ex opere operato, quam nos suo loco excutiendam relinquimus.

IV. Esto ergo iam semel contracta thesis de necessitate operum, vt pertineat ad solos adultos. Sed & necessitatem explicans Bellarminus, geminam constituit, præsentiæ nimirum, & efficientiæ. Illa significari duntaxat necesse esse, eum, qui saluandus sit, bene operari, hac vero amplius, videlicet, etiam causam necessitatis: nempe, quia salutem bona opera efficiant. A suis porro stabiliri vtranque necessitatem, asserentibus, Bona opera homini iusto esse necessaria ad salutem, non solum ratione præsentiæ, sed etiam ratione efficientiæ, id est, non tantum vt causam sine qua non, sed etiam, vt vere causam salutis.

V. At Catholici separant: Et necessitatem efficientiæ negant. Esse enim impossibile vitæ æternæ causam veram vllam esse in bonis operibus. Itaque, Bernardum audiunt libro de Gratia, & Libero Arbitrio, *Si proprie appellentur ea quæ dicimus nostra merita, spei quædam sunt seminaria, charitatis incentiua, occultæ prædestinationis indicia, futuræ felicitatis præsagia, via regni, non causa regnandi.* Sed hæc controuersia proprie pertinet, partim ad merita iam disputata, partim ad Iustificationem, cui post opera locum nos meminimus assignare. Quare hic nihil nisi aduersariorum argumenta perstringemus, quibus hanc efficientiæ necessitatem se sperarunt confirmaturos.

VI. Primum Bellarmini argumentum: Si promissio vitæ æternæ est conditionata, ergo opera sunt necessaria necessitate efficientiæ. Probatur consequentia, primo, quia necesse est impleri conditionem, si qui saluus fieri velit, secundo, quia si iustus non est liber ab obligatione legis, certe nisi eam impleat, non saluabitur.

VII. Respondeo, negari consequentiam. Nam quia consensum est, aliam esse necessitatem præsentiæ, aliam efficientiæ, non sequitur, quicquid necessarium est, esse etiam necessarium necessitate efficientiæ, alioquin distinctio esset frustranea. Posita autem conditione, concedimus sequi necessitatem aliquam, nimirum præsentiæ. Et eo pertinere, vtramque confirmationem consequentiæ. Vt si quis iter aggredienti dicat, necesse esse soleas inducere, ea necessitas non significat soleas conficere iter, sed tantum esse causam, sine qua non conficiatur.

VIII. Secundum: Ad Hebr. 10. *Patientia vobis necessaria est: vt facientes voluntatem Dei, reportetis promissionem.* Diserte audimus necessitatem. Sed hanc esse necessitatem non solum præsentiæ, sed etiam relationis ad salutem, inde arguit, quia dictum sit, *vt reportetis promissionem*, sicut cibus necessarius, vt nutriamur, aer, vt respiremus, vestis, ne frigeamus.

IX. Respondeo: Nemo negat patientiam esse necessariam, sed esse hanc necessitatem efficientiæ, hoc vero probandum fuit. Nos Sophistam ridemus, qui pro ea substituat relationem ad salutem, siue ad acquisitionem salutis, quasi hæc nulla esset in necessitate præsentiæ. Exempla cibi, aeris, vestis, agnoscimus apta ad significandam necessitatem efficientiæ, sed huic instituto negamus idonea, hæc potius: Calcei necessarij ad iter, vestis nuptialis ad conuiuium.

X. Tertium: Prioris ad Timoth. 2. *Mulier seducta in præuaricatione fuit, saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.* En tibi conditio, sine qua mulier saluari non potest.

XI. Ita est, inquam. Sed hæc conditio causæ est sine qua non, ac proinde necessitatis, secundum præsentiam, minime vero causæ efficientis. Illam nos concedimus, hanc oblitus est Sophista sibi probandam.

XII. Quartum: Ad Philip. 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Si actiones bonæ salutem operantur, non sunt necessariæ solum ratione præsentiæ, sed etiam efficientiæ.

XIII. Valeat sane consequentia, sed vnde habeat Sophista bonas actiones salutem operari? Non enim ita Paulus, sed potius, *Vos operamini.* Quis autem tam lolio victitat, vt pro eodem sumat, Vos operamini, & actiones bonæ operantur? Imperatum olim, vt succinctis renibus Judæi comederent Pascha. An dicat quis, ipsos renes succinctos comedisse? Cæterum alias docuimus, Operari salutem, idipsum esse, quod occupare se in iis, quæ sunt ad salutem necessaria, id est, sine quibus salus constare non possit.

XIV. Quintum: Poster. ad Corinth. 7. *Tristitia, quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Hæc ratio est efficientiæ.

XV. Certe, inquam, efficientiæ: at non eius quam quærimus: nempe eius rei quæ efficiat salutem. Nam Paulus scripsit, Tristitiam efficere, non salutem, sed, pœnitentiam, & hanc pœnitentiam esse εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον.